

www.e-rara.ch

**Historia Iesuitica; de Iesuitarum ordinis origine, nomine, regulis, officiis,
votis, privilegiis, regimine, doctrina, progressu, actibus ac facinoribus,
tam communiter, quam singulariter**

Lucius, Ludwig

Basileae, 1627

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22878>

Historiae Iesuiticae liber secundus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



HISTORIÆ JESUITICÆ
LIBER SECUNDUS.
DE DOCTRINA JESUITARUM.



N secundo hoc libro Historiæ Jesuiticæ, illam eorum doctrinam referam; quam Jesuitæ non solum cum aliis nonnullis Papistis communem, sed etiam pro se privatam tenent; omnibusque viribus, tam opere ipso, quàm verbis atque scriptis, propugnant; certum quippe medium, ad toties decantatum ipsorum institutum, finemque architectonicum Ordinis ipsorum, pertingendi: qui est, sub colore & prætextu Religionis catholicæ, mediante Papali autoritate, ac potentiâ Hispanicâ, universum sibi terrarum orbem subjugare; eumque, tam in politicis, quàm ecclesiasticis, ad Jesuiticam normam confundere. Atque hanc quidem ipsorum doctrinam, melioris intelligentiæ gratiâ, sequentibus quatuor capitibus distinguemus: quorum primum, *de Superioritate & autoritate Romani Papæ, & Cleri illius, fuerit*; alterum, *de Actionibus & tractationibus cum Hæreticis*; tertium, *de Artibus ipsorum tumultuosis ac parricidalibus*; quartum denique, *de Aequivocatione, & mentiendi artificio.*

Jesuitarum
institutum
& finis.

DE PAPÆ ROMANI, ET CLERI
IPSIUS, SUPERIORITATE ET
AUTHORITATE.

CAPUT I.

ARTICULUS I.

PONTIFICEM Romanum omnimodam habere, & spiritualem, & temporalem potestatem; jus mandandi, prohibendi; banni sive excommunicationis; jus item pœnarum; electionis & vicariatûs Imperii; Magistratus quosvis instituendi, & deponendi, ipsos etiam Imperatores, Reges, Principes; sic & in alios quosvis Ordines, illorumque subditos. Et hæc pro articulis fidei habenda: qui verò ista non probat,

Papa est supra omnes homines & magistratus.

aut non credit; eum pro Hæretico detestando censendum esse.

Ità scribit ac statuit BONIFACIUS IIX. in c.1. Unam sanctam. Extravag. lib.1. tit.8. de Majoritate & Obedientiâ: *Uterq; ergo est in potestate Ecclesiæ; spiritualis scilicet gladius, & materialis. Sed is quidem pro Ecclesiâ; ille verò ab Ecclesiâ, exercendus; ille Sacerdotis: in manu Regum & Militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis. Quòdque spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habeat, & judicare, si bona non fuerit. Sic enim de Ecclesiâ, & ecclesiasticâ potestate, verificari vaticinium Hieremie; Ecce, constituit hodie super gentes & regna, &c. Ergo, si deviat terrena potestas, judicandam esse à potestate spirituali. Sed, si deviat spiritualis minor; à suo superiori: si verò suprema; à solo Deo, non ab homine, posse judicari: testante Apostolo; Spiritalis homo judicat omnia; ipse autem à nemine judicatur. Et concludit ibidem Bonifacius: Subesse Romano Pontifici, omni humane creatura declaramus, dicimus, desinimus, & pronuntiamus, omnino esse de necessitate salutis.*

Cum Bonifacio concordant, & præmissa tenent, INNOCENTIUS III. & IV. lib.1. Decretal. tit.6. de Electione & Electi potestate, c.34. Venerabilem. & tit.33. de Majorit. & Obed. c.6. Solicitæ. & lib.6. Decretal. tit.14. de Sententiâ & re judicatâ. c.2. Ad apostolicâ.

Sic PLATINA, in vitâ GREGORII VII. hæc illius verba refert: *Agite Apostolorum Principes, & vestrâ auctoritate, quod dixi, confirmate: ut omnes nunc demùm intelligant, Nos imperia, regna, principatus, & quicquid habere mortales possunt, auferre & dare posse.*

SYLVESTER PRIERIA S, verus ille Papæ adulator, in Epitome responsi ad Lutherum, cap.9. scribit: *Romanus Præsul est Legum conditor, quæ ex necessitate salutis omnes afficiunt. Quod consentit cum eo, quod DECRETI parte 1. distinct. c.2. statuitur: Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendas esse, tanquam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.*

Ità quoque sentiunt ac scribunt JESUITÆ: BELLARMINUS, lib.5. de Rom. Pontifice, cap.1.6. & seqq. ISIDORUS MOSCONIUS, de Majestate militantis Ecclesiæ. FRANCISCUS BOZIUS, de temporali Ecclesiæ Monarchiâ. ALEXANDER PESANTIUS, de Immunit. Ecclesiæ & Potest. Rom. Pontif.

In libro Jesuitico, cui titulus, CONCERTATIO Ecclesiæ Catholicæ, Treviris anno 1583. excuso, expressa hæc verba extant: *Pontificis auctoritatem esse articulum fidei. Itèm: Papam habere potestatem, quemcunque Principem de principatu deiciendi; ejusq; sententiâ si promulgetur, subditos Principum obedire debere.*

FRANCISCUS SUAREZ, lib.6. Defensionis fidei catholicæ, adversus Anglicanæ sectæ errores, c.5. n.8. Propositio hæc, inquit, *Papa potestatem habet ad deponendos Reges hereticos & pertinaces suove regno, in rebus ad salutem animæ pertinentibus, perniciosos; inter dogmata fidei tenenda & credenda est. Nam continetur in verbis Christi, Petro singulariter & peculiari ratione dictis; Quodcumq; ligaveris, & quodcumq; solveris; & Pasce oves meas. prout Catholica Ecclesiâ, quæ est columna & firma-*

momentū veritatis, illa intellexit; & apertissime declaravit Bonifacius IX. in Extravag. Unam sanctam. de Majorit. & Obed. concludens, esse veritatem hanc de necessitate salutis.

Cum etiam BELLARMINUS Jesuita, integrum tractatum, de Potestate summi Pontificis in temporalibus, conscripserit; is verò pro seditioso & impio agnitus fuisset: Curia regia Parisiis, tractatum quidem illum condemnavit; nec tamen exempla illius, in Cardinalis honorem, publicè concremari voluit; uti verò Marianæ & Suarezii libris factum est; de quo, capite tertio, postea dicitur. Excerptum sententiæ illius, ex Actis judicialibus Parlamenti Parisini, verborum ita habet:

Viso in Curia, convocatis tribus Classibus, libro, cui titulus; Tractatus de Potestate summi Pontificis in temporalibus, adversus Guilielmum Barclajum, authore Roberto, S. R. E. Cardinali Bellarmino; impressus Romæ, per Bartholomæum Zannetti, anno 1610. cum à Procuratore Regis generali de super conclusum esset, & consideratis omnibus: dicta Curia edicit omnibus, cujuscumq; ordinis & conditionis sint, ac vetat, sub penâ criminis læsæ Majestatis; ne quisquam recipiat, apud se retineat, alterive communicet, typis excudat, aut venum exponat librum istum; qui falsum & planè detestandum continet pronuntiatum; quod tendit ad everfionem supremæ Potestatis à Deo constitutæ, seditiosos reddit subditos adversus suos Principes, eorumq; imperio subducit; & ut contra vitam ac dignitatem ipsorum nefaria tentare, ac tranquillitatem publicam turbare audeant, animat atque inducit. Mandat verò illis, qui exempla perniciosi istius libri habuerint, aut resciverint alios, qui habeant: ut continuò indicent Judicibus ordinariis: qui de eâ re inquirant, ad instantiam Substitutorum dicti Procuratoris generalis; & in reos ita, ut jus & æquum est, statuant. Similiter prohibet sub eâdem penâ; ne quisquam Doctorum Professorumve in Scholis, Collegiis, aliisve locis, de illo pronuntiato tractet, disputet, scribat, aut quocumque modo illud alios docere audeat. Jubet eadem Curia, ut Arrestum hoc mittatur in omnes Præfecturas, huic jurisdictioni subjectas: ut ibi publicè legatur, in monumenta referatur, & omnibus suis partibus diligenter observetur. Mandatq; Substitutis Procuratoris regis; dent operam, ut executioni mandetur: & de adhibita suâ diligentia, intra mensem, Curiam certiozem reddant. Pronuntiatum in Parlamento, die Veneris, 26. Novemb. Anno 1610.

ARTICULUS II.

Omnes ecclesiasticas personas, Episcopos, Prælatos, Sacerdotes, Monachos, Moniales, &c. illorumq; temporalia bona, jura, & redditus, à temporalium Dominorum obedientia, mandatis, contributionibus, & jurisdictionibus, in personalibus & realibus, civilibus & criminalibus, prorsus exemptos & privilegiatos esse; nec vel Imperatori & Regibus, aliisque laicis Magi-

Papa & Clerici ipsius, per omnia & in omnibus liberi sunt; & omnis verò Mundus illis subiectus est.

stratibus, pareret teneri. Cæsarem autem, Reges & Principes, præcipua sua fortalitia, Ecclesiasticis potius, quàm Laicis personis, custodiēda concedere debere.

Ità scriptum exstat in JURIS PONTIFICII parte 2. caus. 11. de Foro competenti, c. 2. Nullus Judicum [secularium,] neque Presbyterum, neq; Diaconum, aut Clericum ullum, aut juniores Ecclesiæ, sine licentiâ Pontificis, per se distingat, aut condemnare presumat. Quod si fecerit: ab Ecclesiâ, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus; quousq; reatum suum agnoscat, & emendet. Sic lib. 2. Decretal. tit. 2. de Foro competenti, c. 12. Si diligenti. Tam Episcopi, quàm Diaconi, seu quilibet Clerici, in criminali, seu in civili negotio, si, derelicto ecclesiastico judicio, publicis judiciis se purgare voluerint; etiamsi pro eis sit lata sententia; locum suum amittant, & hoc in criminali actione: in civili verò perdant quod evicerint, si locum suum maluerint obtinere. Et non solum invitati, sed etiam voluntarii, pacisci non possunt; ut secularia judicia subeant: cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat; sed potius toti Collegio ecclesiastico sit publicè indultum: cui, privatorum pacto, derogari non potest. Nec juramentum licitè servari poterit; quod contra Canonica statuta, illicitis pactioibus, informatur. Et lib. 3. Decretal. tit. 4. 9. de Immunit. Ecclesiar. c. 4. Non minùs. Sub anathematis districtione, Magistratus seculares prohibentur, onera fossatæ, expeditionis, seu alia qualibet, Ecclesiis imponere: nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem, vel utilitatē, adspexerint; ut absq; ullâ exactione, ad relevandas cōmunes utilitates, vel necessitates, ubi Laicorū non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferēda. Et lib. 6. Decretal. tit. 23. de Immunit. Eccles. c. 3. Clericis, statuitur: Quod, quicumq; Prælati ecclesiasticæq; personæ, religiosa vel seculares, quorumcunq; ordinum, conditionis seu statûs, collectas, vel tallias, decimam, vice simam, seu centesimam, suorum & Ecclesiarū proventuum vel bonorum, Laicis solverint, vel promiserint, vel se soluturos consenserint; aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam, ipsorum proventuum vel bonorum estimationis, vel valoris ipsorum; sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii, vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quasi colore, absq; auctoritate Sedis apostolicæ: nec non Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Potestates, Capitanei, vel Rectores, quocunq; nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunq; locorum, constitutorum ubilibet; & quivis alii, cujuscunq; præeminentia, conditionis & statûs, qui talia imposuerint, exegerint, vel receperint; aut apud ades sacras deposita Ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum, ubilibet arrestaverint, saisiverint, seu occupare presumerint; vel arrestari, saisiri, aut occupari mandaverint; aut occupata, saisita, seu arrestata receperint: nec non omnes, qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem, publicè vel occultè: eo- ipso sententiam excommunicationis incurrant. Universitates quoque, quæ in his culpabiles fuerint, ecclesiastico supponuntur interdictione. Prælati, & personis ecclesiasticis supradictis, in virtute obedientiæ, & sub depositionis pœnâ, districtè mandatur; ut talibus, absq; expressâ licentiâ dictæ Sedis, nullatenus acquiescant: quòdque, prætextu cujuscunq; obligationis, promissionis, & confessionis,

tionis, factarum hæcenus, vel faciendarum in antea, prius-quàm hujusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum, ad notitiam ipsorum pervenerit, nihil solvant; nec supradicti seculares quoquo modo recipient: & si solverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto.

INNOCENTIUS III. lib. 1. Decretal. tit. 23. de Majorit. & Obed. c. 6. Sollicitè ità scribit ad Imperatorem Constantinopolitanum: Potuisses autem prerogativam Sacerdotii ex eo potiùs intelligere; quod dictum est, non à quolibet; sed à Deo: non Regi; sed Sacerdoti: non de regiâ stirpe; sed de sacerdotali prosapiâ descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: Ecce constitui te super gentes & regna; ut evellas & disipes, ædifices & plantes. Præterea nôsse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli; luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti: utrumq; magnum; sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cæli, h. e. universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria; i. e. duas instituit dignitates: quæ sunt, Pontificalis auctoritas, & Regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, i. e. spiritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor: ut, quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Hæc autem si prudenter attenderet Imperatoria Celsitudo: non faceret, aut permetteret, Constantinopolitanum Patriarcham, magnum quidem & honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum, in sinistra parte sedere: cum alii Reges & Principes, Archiepiscopis & Episcopis suis, sicut debent, reverenter assurgant, & eis juxta se venerabilem sedem assignent. Et CLEMENS III. Papa, ibidem paulò antè, c. 4. ait: Omnes Principes terra, & cæteros homines, Episcopis obedire, beatum Petrum præcepisse.

BARONIUS Cardinalis, in Parænesi ad Rempub. Venetam, in hunc modum scribit: Audi compellantem te, quisquis es transgrediens terminos tuos, Apostolum Paulum, & dominium tuum justis limitibus aded coarctantem; ut extra eos, qui sunt tibi subditi, nullam in reliquis te habere sentias potestatem, ut eos judices: Tu, quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat. aut cadit. Si alieni servi abripitur tibi, apostolica denuntiatione, judicium: quomodo præsumere poteris, alterius fori, non tibi subjectum saltèm judicare Clericulum? quomodo Diaconum, vel Sacerdotem? quomodo Episcopum? Et (quod horrendum dictu) quomodo tuâ sententiâ condemnabis; & non horresces, Archiepiscoporum vel Patriarcharum sententias judicare? ac denique (quod & monstrum atq; portentum Luciferi est) dices; In cælum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum: judicabo judicia Christi Vicarii; latas ab ipso sententias nullas esse, propriâ denuntians auctoritate, desiniam. Quod & fecisti. Sed sic elevatus certum casum expavesce, qui subditur: Veruntamen ad infernum detraheris in profundum lacu. Aded ut magno te scias periculo, sicut magno piaculo, divina tentâsse; tribunalq; illud divinitus constitutum, super cælum exaltatum, ejus retractando sententiam, pervasisse. Sed audi absterrentem Apostolum: Nescitis, quia Angelos judicabimus? quantò magis secularia? Venerandum quod est Angelis, quomodo Principibus non reverendum, quod contempsisti tribunal, & contumeliis affecisti? Danielis thronum circumstabant Angeli vindices: Perri cathedram deseret custodia Angelorum, ulciscèntium, quicquid peccatur in eam.

JOHANNES MARIANA, Jesuita Hispanus, lib. 1. de Rege & Regis institutione, cap. 10. scribit: *Princeps neminem ex sacro ordine supplicio afficiat. Illius immunitates & jura intacta ut sint, curare debet. Præstat enim, scelera impunita relinquit; quàm hujusmodi immunitates refigi. Item: Vellem, Episcopis firmissimas Principum arces in fidem tradi. Et paulò antè: Respublica commodius à viris sacris, quàm à profanis, quales sunt Urbium procuratores, remedium expectabit.*

FRANCISCUS BOZIUS quoque, lib. 2. de temporali Eccles. monarch. cap. 1. vult; *Seculares rerum temporalium judicia, ad normam & imperium Ecclesiasticorum, exercere debere. Item: Rerum etiam temporalium judiciis præficiendos magis dignos in Ecclesiâ; veluti sunt Sacerdotes & Episcopi. Sacerdotibus etiam regni gubernacula tradenda.*

ARTICULUS III.

Papa Deus est; neque errare potest.

Quantúmvis Papa homo sit: attamen, quia Vicarius Dei in terris, (ob quam causam illi etiam divini honores competant) errare ipsum non posse, in negotiis fidem Christianam concernentibus; etiamsi omnes alii Ecclesiastici, atque adeò ipsa etiam Concilia, errarent. Ideoque à Conciliis ad Papam; non contrà, à Papâ ad Concilium, appellari posse.

Ità scribit NICOLAUS Papa, parte 1. Decreti, distinct. 96. c. 7. *Satis evidenter ostenditur, à seculari Potestate, nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem; quem constat à pio Principe Constantino Deum appellatum: nec posse Deum ab hominibus judicari, manifestum est.*

BLONDUS, lib. 3. Roman. instaur. *Omnes Principes orbis terrarum, Pontificem honorant & colunt, ut summum Deum.*

BELLARMINUS Cardinalis, lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 2. post alios allegatos Doctores, dicit; *Deum non permittere, ut Papa quicquam temerè desinat. Qui enim promissit finem, hunc etiam media promississe.*

MOSCONIUS, lib. 1. de Majest. militantis Eccl. cap. 1. scribit: *Si totus Mundus sententiaret contra Papam in aliquo negotio; standum tamen esset sententiæ Papæ. Quod etiam exstat in GLOSSA Juris Canonici, caus. 9. quæst. 3. c. 13. Nemo judicabit. in verbo, Neque ab omni clero.*

À Concilio ad Papam rectè appellari, docet JOHANNES DE SELVA, tractatu de Beneficiis, par. 4. n. 28. Non contrà à Papâ ad Concilium; JACOBATIUS, de Conciliis, lib. 1. art. 1. n. 36. & art. 16. n. 26. uti nec à Papâ ad Cardinales: MANFREDUS, de Cardinalib. decif. 391. cum JACOBATIO, contra Bartolum.

In Romani Pontificis arbitrio stare S. Scripturæ authoritatem, interpretationem, & mutandi jus. Contrà, Pontificis placita, tanquam ad fidem & salutem præcisè necessaria, semper firma, valida, & obligatoria esse.

Papa est supra Scripturam S.

IN CONCILIO TRIDENTINO, Sess. V. cap. 1. ità conclusum est: *Et si Christus Dominus, in ultimâ Cœnâ, venerabile hoc Sacramentum, in Panis & Vini speciebus, instituit, & Apostolis tradidit: non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, ut omnes Christi-fideles, statuto Domini, ad utramq; speciem adstringantur.* Et cap. 2. ratio sub-jicitur: *Hanc potestatem perpetuò in Ecclesiâ fuisse; ut, in Sacramentorù dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret: quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Et cap. 3. Can. 1. definitum est ità: *Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi-fideles, utramq; speciem sanctissimi Eucharistiæ sacramenti sumere debere; anathema sit.* Can. 2. *Si quis dixerit, sanctam Ecclesiam Catholicam, non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut Laicos, atq; etiam Clericos non-conficientes, sub Panis tantummodò specie communicarent; aut in eo errâsse; anathema sit.*

SYLVESTER Prierias, in Epitome respons. ad Lutherum, scribit; *Doctrinam Pontificia Ecclesiæ, & Pontificis Romani, esse regulam fidei infallibilem: à quo Pontifice etiam robur trahat, aut traxerit S. Scriptura: &, qui hoc non credit, Hæreticum esse.*

CAROLUS RUINUS, consil. 109. n. 1. volum. 5. tenet; *Quòd Papa statuere possit contra Epistolas Pauli.* Et ANTONIUS DE ROSELLIS, in tract. de Conciliis, tradit; *Papam esse majorem Paulo.* Et ROTA, decis. 1. n. 3. cum ANTONIO MARIA, Addit. ad decis. Rotæ novas, de Bigamis, n. 9. *Quòd Papæ potestas sit major Apostolo; & quòd possit dictis apostolicis derogare.*

HOSIUS Cardinalis Polonus, lib. de expresso Dei verbo, scribit: *S. Scripturam, nisi juxta sensum Ecclesiæ Romanæ exponatur, non esse Dei expressum verbum; sed expressum verbum Diaboli: Satanae verba esse, per membra sua loquentis.*

Traditiones quin-etiam Papales, & Ecclesiæ Romanæ, eadem authoritate præditas esse, atque scripta canonica Veteris & Novi Testamenti, pariq; pietatis affectu & reverentiâ suscipiendas & venerandas; decrevit CONCILIUM TRIDENTINUM, Sess. IV. ac defendunt, PETRUS à

SOTO, in Defens. de uno Præf. Judice Eccles. c. 33. & C

STERUS Jesuita, in Apologiâ pro parte 1.

Enchirid. contra Franciscum

Gomarum.

DE ACTIONIBUS ET TRACTA-
TIONIBUS PAPISTARUM CUM
HÆRETICIS.

CAPUT II.

ARTICULUS I.

Jesuitæ
perfidia &
fœdifragia
docent.

PRO invalidis, & planè nullis, haberi debere Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque Ordinum, constitutiones, pacta-conventa, capitulationes, fraternitates, concessioniones; quibus alia religio, quàm moderna Romano-Catholica indulgetur: etiamsi juramento confirmata; non tamen à Romano Pontifice approbata sint.

JACOBUS SIMANCHA, Episcopus Pacensis, de Cathol. Institut. c. 46. n. 52. docet: *Ad Hæreticorum istorum (quorum nomine omnes eos censet, qui cum Pontifice Rom. non faciunt) pœnam & odium etiam pertinere; quòd fides illis data servanda non sit, (ut Hullo in Concilio Constantiensi factum) non obstante juramento. Itèm: Cum Hæreticis nullum commercium, nec pacem ullam esse posse; ideòq; fidem illis datam, etiam juramento firmatam, nullo modo servandam esse. Sæpè (addit) id à nobis dictum: necesse est tamen incessabiliter iterari, & tamdiù non tacere; quamdiù Pacis illud nomen obtenditur.*

CUNRADUS BRUNUS, de Hæreticis, lib. 3. c. 15. ponit quæstionem, de tali pace religionis, qualis est in Imperio, ex cõventionibus Anni 1552. & 1555. *An rata sint & valeant pacta, conventiones, leges & rescripta, quibus Hæretici pacem & securitatem impetrant; ut, qui eos offenderit, fracta pacis teneatur? Itèm: Quibus permittitur, ut Ecclesias, Episcopos, Sacerdotes & Clericos, habeant; Ecclesias reformare, Ecclesiarum bona possidere, administrare, & dispensare possint; utrùm Ecclesiastica jurisdictio contra ipsos suspendatur? Et respondet; non valere: cum Hæreticis Catholico nullam pacem esse posse: & esse conditionem iniquam & blasphemam, quâ Hæreticis permittitur, ut dogmata sua doceant. Et in fine ejusdem capituli: Hodie nulla pax rata esse potest, quæ cum Hæreticis eâ lege contrahitur, ut offendi non possint: Horrendam & abominandam esse pacem, eâ conditione initam; ut, qui eos offenderint, fracta pacis condemnentur. Econtrà, omnia divina & humana jura illos extinctos velle.*

PETRUS RIBADENEIRA Jesuita, de Principe, libro 1. postquàm capite 16. Protestantes Principes injuriosè rebelles & summè-impios appellavit, (ut & socius illius, JACOBUS SYLVANUS, aliàs JACOBUS KELLER, Jesuita Ratisbonensis, in Philippicâ suâ, eosdem Principes, PERDUELLIUM appellatione, diffamare non erubuit) subjicit capite 17. & 18. *Pacem hanc religio-*
nis,

nis, quam Politici nostri (sic Jesuitæ Consiliarios Principum Pontificiorum pacis-studiofos cognominant) invexerunt, quamq; Germani, Lutherane factionis assecla, sunt amplexati, & in Belgio nonnulli sibi concedi postulant, non indulgendam, neq; ferendam. Idem asserit etiam ANDREAS ERSTENBERGER, sive FRANCISCUS BURCKHARDUS, Cancellarius Coloniensis, in Autonomiâ, (laudatâ multùm à Ribadeneirâ) parte 3. cap. 13.

MARTINUS BECANUS, Jesuita Moguntinus, in Disputat. de Fide Hæreticis servandâ, c. 10. asserit; Libertatem, sive pactionem illam religionis, quâ liberum permittitur, esse Catholicum, vel Lutheranum, vel Calvinistam, omnino esse illicitam, & divino præcepto repugnantem: nec aliter, quam aliquo tempore, majoris damni vitandi causâ, tolerari posse. Imò hæc libertas potius (ait) à Catholicis, omnibus modis, quantum commodè fieri potest, impediri & profigari debet. Nullus sit istius ministeriorum locus. Sciant omnes, etiamsi quid speciali rescripto vel pacto, ab hujusmodi hominum genere, impetratum sit, non valere.

Hinc est, quòd HOSIUS Cardinalis, Epistolâ 193. 202. 220. Henricum Poloniae Regem hortatur, nullo modo fidem datam Euangelicis Polonis servare. Nunquam, ait, patiaris ullâ re ratione ad ea, quæ promissisti, servanda teneri: quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Et hanc admonitionem postea, ad Regem Poloniae Stephanum, ANTONIUS POSSEVINUS Jesuita repetiit.

Sententia ergo Jesuitarum hæc est: Hujusmodi pacificationes ex ipsorum parte non esse obligatorias; nisi cum autoritate & consensu Pontificis Rom. inita sint; sed nullas & irritas esse. Quin, etsi validæ essent; tamen ad Papæ nutum rescindi ac cassari; & juramentum interpositum, Pontificiis relaxari; imò &, post perjurium admissum, absolutionem facillè impetrari posse.

In eandem igitur sententiam docent porrò etiam Jesuitæ: Pacem religionis, inter Ordines Germanici Imperii conventam, uti per vim Imperatori extortam, non esse obligatoriam; imò & ad tempus tantùm concessam, dilationem, moratorium, & tolerantiam fuisse: nempe usque ad Concilii Tridentini publicationem, quæ Anno: 564. secuta est.

Sic JOHANNES-PAULUS WINDECK, in Deliberat. de Hæresibus extirpandis, Antid. 3. Respons. ad 4. object. scribit: Quòd hac pacis formulâ Cæsar Protestantibus cavuit; summâ necessitate adactus fecit: nam, irruente tum in Austriam Turcâ, necesse erat, omnes undecunque vires contrahere. Ibidem: Constat ex eo edicto, Cæsarem pacem Protestantibus tantùm ad-usq; Concilii tempus, quo disidium hoc sanari posset, concessisse. Item: Protestantibus tantùm moratorium, dilationem, & tolerantiam concessisse, usq; ad judicium Concilii Tridentini. Quamobrem mirari animum subit vecordiam Sectariorum; qui, pro religione tuendâ, toties Comitiorum decreta contra nos stultissimè detonare & deblaterare solent. Idem inquit: Quòd nonnunquam Catholici cum Sectaris transfegerunt, eo sine fecerunt; ut, interea reliquis negotiis expediti, postea unum hoc bellum contra Sectaris administrarent, omnemq; ejus molem in ipsos converterent. Eadem docet etiam ANDREAS ERSTEN-

Pax religiosa in Germaniâ nō est obligatoria, & jam dudū evanida.

BERGER, de Autonomiâ, lib. 3. c. 13. Et liber Excitatorius Clericorum, cap. 3. MELCHIOR CLESSELIUS quoque, Episcopus Viennensis, ejusdem farinae Censuram conscripsit, anno 1606. ad Matthiam, tunc Archiducem Austriae, directam.

ARTICULUS II.

Jesuitæ
classicum
belli ca-
nunt con-
tra Evan-
gelicos.

Jam-nunc ad laborandum Pontificiis ubique esse, ut omnes Hæreticos, illorumque fautores, Politicos illos Catholicos, (qui potius pacem servare, quam auxilia ad Hæreticorum oppressionem cōferre malunt) igne, ferro, veneno, pulvere tormentario, bellis, & aliis machinationibus, opprimant. Nisi fortè Pontificii metuant, ne conatus ipsorum irritus futurus, & Romano-catholicæ religioni detrimentum aliquod oboriturum esset. Hoc enim casu, ad tempus aliquid indulgendum, & commodiorem opportunitatem exspectandam esse.

De hoc prolixè scribunt, sæpè-dictus Jesuita RIBA DENEIRA, lib. 1. de Principe, cap. 18. & 26. PAULUS CHIRLANDUS, de Hæreticis, quæst. 3. n. 2. SIMANCHA, Instit. Cathol. c. 46. num. 45. & seq. Idem Actio HENRICI GARNETI, Jesuitæ, Provincialis in Angliâ, per totum, confirmat.

Cardinalis REGINALDUS POLUS, in Orat. ad Carolum V. Imp. suadet; *Relicto bello Turcico, contra Hæreticos bellum movendum. His enim compositis, (ait) minori negotio reliqua aggredi ac perficere poteris. A Turcâ minus periculi imminet.* In eandem sententiam, Jesuita quidam, in Oratione, tempore Comitiorum Augustanorum, anno 1566. sparsâ, Maximilianum II. Imp. affatur: *Quamdiu non equum tuum in Lutheranorum sanguine ventre-tenus natare feceris; cogitare minime debes, te fortunâ bonâ aut victoriâ contra Turcam positurum esse.*

Consimilia habet etiam CUNRADUS BRUNUS, lib. 3. de Hæret. c. ult. Et WINDECK, de exstirp. Hæref. Antidoro 10. & 11. *Lutheranos mortis supplicio exterminandos, interficiendos, propulsandos, reprimendos, delendos, ustionibus & sectionibus exciscindos, tollendos, explodendos, viriliter exstirpandos, trucidandos, inter-
necione delendos, scribit.*

PETRUS STEVARTIUS, contra Hasenmüllerum: *Quum mitiores pœne apud Hæreticos nihil proficiunt, sed venenum latius serpit; tum verò urendum & secandum esse, ait.* Atq; hanc sententiam animitus se amplecti, CHRISTOPHORUS ROSENBUSCH, in Replicâ suâ profiteretur. Et MATTHIAS

MEYER.

MEYERHOFER, in Speculo Prædicantium, *Se. suiq; similes, in hac sententiâ tam concordés esse*, scribit; *ut etiam pro articulo fidei illam teneant.*

STAPLETONUS Jesuita, in Oratione contra Politicos, Duaci habitâ, *tales Politicos (qui pacê suadent, & cruentas persecutiones impediunt) Hereticis & Turcis deteriores esse*, dicit: *quia armis & belis Catholicismum propagare recusent. Eos etiam, ut novos Diagoras & Protagoras, ex omnibus civitatibus pelli debere: ut veteres illos expulerunt Athenienses; propositâ etiam mercede ei, qui illos interficeret.*

BARONIUS Cardinalis, in Epistolâ ad Papam contra Veneros, Duplex est, ait, *Beate Pater, ministerium Petri, Pascere, & Occidere, juxta illud, Pâsce oves meas: & juxta illud, Occide & manduca. Quando enim Pontifici negotium est cum refractariis & adversantibus: tum jubetur Petrus eos mactare & occidere, atque in viscera sua recondere.*

Iterum prædictus **JOHAN-PAULUS WINDECK**, loco antè citato, scribit: *Ad Sectarios profligandos, Catholicorum Principum Liga & confociatio requiritur. Dein, nec negligenda est occasio: quando videlicet Protestantes pecuniis exhausti sunt. Utq; facilius Catholici Sectarios opprimere possint; variis obductis causis & artibus, alios ab aliis ut divellant, occasiones captandæ. Idq; à Carolo V. Imp. observatum, magno suo emolumento. Sed & externa auxilia Catholici sibi adjungant, ad subjugandos Sectarios. Econtrâ, ne hi exterorum suppetias sibi adsciscant, cavebunt. Quinimò languinarius iste Jesuita classicum suum, contra omnes in universum Euangelicos, phaleratis hisce verbis decantat: Sciant, sciant Heretici, nobis non deesse modos Sectas extirpandi. Quomodo etiam EDMUNDUS CAMPIANUS, popularibus suis Anglis, in Epistolâ ad Consiliarios Reginae Angliæ, minatus est: Quod ad Societatem nostram attinet, velim sciatis, omnes nos, qui per totum Orbem longe latèq; diffusi sumus, quorum est continua successio & magnus numerus, sanctum sedus inuisse; nec, quamdiu vel unus nostrum supererit, studium & consilia nostra, de salute vestrà, (h. e. religionis & regni vestri everfione, aut sub Papæ jugum reductione) intermissuros. Jampridem imitatio est; & inchoatum certamen nulla vis, nullus Anglorum impetus superabit.*

Quòd si tamen Pontificii metuere cogerentur, ne conatus ipsorum irriti, aut libimet-ipsis plus detrimentosi forent: eo casu ad tempus aliquid indulgendum, & commodiorem opportunitatem expectandam esse, manifestum evadit ex libro **MEMORABILIUM** Ligæ, Tom. 6. ubi Jesuita Breve Apostolicum habere dicuntur, in quo per dispensationem ipsis permittitur, ut serviant temporari. Itè: *Disimulandum, & Regi obediendum ad tempus per disimulationem esse.*

Sic **PETRUS RIBADENEIRA**, de Principe, lib. 1. c. 26. scribit: *Christiana prudentia docet, disimulationem utendum si magna pericula timentur.*

MARTINUS BECANUS, de Fide Hæret. servandâ, cap. 10. ait: *Si Lutherana religio commodè impediri & profligari non potest, nisi cum majori damno Reipublicæ; tunc aliquo tempore tolerari potest. Et: Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debet libertatem religionis Lutheranae. Si tamen id facere non potest, sinè graviore incômodo boni publici, potest eam tolerare, ad evitandum majus malum.*

Quando, in Religionis negotio, temporari concedendum censent Jesuitæ.

WINDECK, in Delib. de Hæref. extirp. *Nil, nihil in Religionis negotiis oportet cōnivere aut indulgere, nisi ubi libertas publicâ auctoritate, & validis viribus, niritur.*

Sic HENRICUS GARNETUS, Jesuita Provincialis Angliæ, scripto restatus, & coram tribunali confessus est; Pium V. & Gregorium XIV. monitos, quod ipsorum Bullæ, contra Reginam Elisabetham, magnas calamitates Pontificiis conflarent, eosdem hac indultâ veniâ demulsiisse: *Licere omnibus Catholicis externam obedientiam præ se ferre, ad vexationē redimendam; his tamen cautelis & cancellis circumscriptam. Primò: Rebus sic stantibus. Secundò: Donec publica Bullæ executio fieri potest.*

Nonnulli tamen etiam Jesuitarum docent, nimis tributum fuisse temporibus. Nunc itaque omnes Hæreticos, Lutheranos & Calvinianos, passim exterminandos, opprimendos, funditus & radicitus delendos; ne ullum ejusmodi semen renascatur.

CRESVELL Jesuita, sub nomine Andreae Philopatris, contra Edictum Reginæ Angliæ, sic scribit: *Satis jam cessatum est ab innocentum defensione, ad placandum hostem, si fieri potuisset: satis datum tempore: satis, satis tributum spei. Quid-ni obsistamustâ scelerata tyrannidi? (quâ nimirum Jesuitæ Angliâ prohibentur.)*

RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. c. 15. ubi politicam prudentiam illam Reginæ Scotiæ, & Regum Galliæ ac Consiliariorum, graviter accusat: *qui putarunt, serviendum tempore, utiliusq; esse, conniventiam quâdam & lenitate servare; quàm severâ animadversione totum regnum evertere: tandem addit; Nullum Regem, nullum Principem esse, cui hac politica ratio potior visa est; qui non stultitiæ & temeritatis gravissimas pœnas dederit.*

Sic Jesuita HILLIUS, Ratisbonæ, in publicâ concione, anno 1607. Comitiorum tempore, in præsentia Commissarii Cæsareæ Majestatis habitâ, classicum hoc modo de suggestu cecinit: *Nunc tempus esse, Hæreticorum istorum (quos prius expresserat) oppressionem & deletionem maturare: Catholicis nec nervum pecuniam, nec militem, nec consilia deesse.*

Sic & in Commonefactione, ab Episcopis quibusdam, Anno 1603. Ratisbonæ, exhibitâ Matthiæ tùm Archiduci Austriæ, dicitur: *Non amplius temporisandum; sed vitam, sanguinem, & omnes fortunas ad hoc exponendas; ut cogantur Imperii Ordines, in ipsorum territoriis sita monasteria, Abbatibus & Monachis restituere. Et in hunc finem, Catholicorum majorem conjunctionem omnino necessariam esse; extrema omnia tentanda; animos non despondendos. Cum & parvæ Catholicorum manus (ait Windeck, in Delib. de Hæref. extirp. Antidoto 11.) sæpe ingentes Hæreticorum copias trucidaverint, & internecione deleverint.*

Ex eodem scrinio pectoris Jesuitici, sub initium Comitiorum Ratisbonensium Anni 1607. prodiit Epistola sive Exhortatio Episcopalis, ad aliquot Pontificiæ religionis Prælatos, quæ inter alia sic habet: *Maximoperè dolendum est, quod inter Politicos nostros reperiantur, qui Cæsareæ Majestati, Electoribus & Principibus, persuadere conantur; ob horum temporum difficultatem, aliquid connivendum & temporisandum esse. Id enim dum à Politicis istis fit; Protestantes commoda sua, in Romanæ religionis detrimentum, promoyent.*

Jesuitæ
moram
cruentæ
persecu-
tionis vix
sustinere
possunt.

DE ARTIBUS ET DOCTRINIS
JESUITARUM SEDITIOSIS AC
PARRICIDIALIBUS.

CAPUT III.

ARTICULUS I.

QUANDO Subditi Romano-Catholici, Imperatorem, Regem, sive Principem suum, pro tyranno habendum, in Conciliis vel Conventibus suis stauerunt: tùm illum abdicare, & se ipsos omni obligationis nexu solvere posse. Si verò Comitia habere prohibeantur: tùm cuivis Subdito, modò Jesuitarum, aut aliorum hujusmodi Theologorum, usus sit consilio, permixtum; imò laude dignum & meritorium futurum, hujusmodi Regem vel Principem occidere.

Quà ratione Subditi Principes ac Magistratus abdicare, quin etiam occidere debeant.

JOH. MARIANA, Jesuita Tolertanus, de Rege, lib. 1. cap. 6. scribit: *A' populis sive subditis volentibus, Regem Principatu spoliari posse. Et ab omni memoria in magnâ laude fuisse, quicung, tyrannos opprimere aggressi sunt. Ostendit etiam rationem abdicandi ejusmodi Principem. Expedita & maximè-tuta via est, inquit, si publici Conventus facultas detur: ut communi consensu statuatur, quid fixum ratumq, esse debeat. Et, si monitis Princeps non obediat: consilia explicanda, arma expedienda, pecunias in belli sumtus Subditis imperandas; Principem etiam privatâ auctoritate ferro perimendum. Sin publici Conventus facultas sublata erit: tùm etiam, qui, votis publicis favens, Regem sive Principem perimere tentârit, haudquaquam iniquè eum fecisse existimabo. Ac, nisi publica vox populi adsit, qua Regem pro tyranno habeat; adhibendos esse in consilium viros eruditos & graves: (h. e. Theologos ex ordine Jesuitico.) Et subjicit Mariana: *Præclare, præclare cum rebus humanis ageretur; si multi homines forti pectore invenirentur, pro libertate patria, vitæ contemptores & salutis. & doler, quodd plerosq, incolumitatis cupiditas retineat, magnis sæpè conatibus adversa: ad id etiam Ehudi exemplum, qui Moabitarum Regem Eglonem in cubiculo suo confodit, allegans.**

Jesuita CRESWEL, aliàs PHILOPATER, adversus Edictum Reginae Angliæ, scribit: *Potestatem regiam esse juris civilis. Ergo in arbitrio populi esse, Rex quis sit, an non.*

Totus Jesuitarum liber, de Abdicatione Henrici III. Regis Galliæ, editus durante adhuc Jesuitarum rebellionem, anno 1591. Lugduni, apud Johannem Pillehot, S. Ligæ seu Unionis Gallicanæ Bibliopolam, ex præcepto Superiorum, & cum insignibus Jesuitarum, hoc-ipsam quoque docet. Accusatur in eo

Henricus III. quòd sit impius & impurus Tyrannus : & præclare actum iri. si is, cum sui similibus Regibus & Principibus, interficeretur, ab uno vel pluribus vasallis aut subditis, non expectat à speciali aliquâ excommunicatione vel mandato : & qui tale facinus patrent, eo- ipso magnam gloriam & vitam æternam consequuturos, atq; etiam Reipublica commodum & utilitatem promoturos esse. Non desinemus etiam, inquit Jesuitæ, auxilia & media querere, quibus Rex iste, cum omnibus ei adhaerentibus, opprimi & interfici possit. Cùmque editio libri ad finem ferè perducta, & simul Rex à Jacobo Clemente interfectus, Henricus IV. autem in ejus locum Rex creatus esset; in præfatione & fine libelli additum fuit: *Ut, nullâ parricidii Henrici III. ratione habitâ, hujusmodi libelli, & doctrina hac, in vulgus spargantur: quòd sciatur, jure & merito Henricum III. abdicatum & interfectum esse; indeq; intelligatur, ejus successorem quoque, Henricum IV. eodem modo justè abdicari & opprimi posse: utq; ei adhaerentes, exemplo Henrici III. moniti, sapere discant; ne in exitium præcipitentur, quòd post necem Henrici IV. ipsis paratum sit. Tempus enim jam adesse, quo Regnum Gallia de gente in gentem (à Gallis ad Hispanos) transferendum sit.*

Tales etiam libri, à Jesuitâ GUIGNARDO scripti, Lutetiæ, in Collegio Jesuitarum, inventi sunt: in quibus parricidium, in Henrico III. patratum, magnoperè commendat; Subditosque exhortatur, ne Henricum IV. etiam ferant, sed pari ratione occidant. Dolet quoque, in lanienâ Parisiensi, anno 1572. à Regiis in eo erratum fuisse; quòd non, cum aliis, Regem etiam Henricum Navarræum simul extinxerint.

Ejusdem argumenti est Jesuitæ REINALDI liber, de justâ Reipub. Christianæ in Reges impios & hæreticos autoritate, justissimâque Catholicorum confederatione, ad repellendum Henricum Navarræum à Regno; editus sub Guilelmi Rossæi nomine.

Idem etiam docet liber, sub nomine Francisci Veronæi Constantini in lucem editus, hoc titulo; *Apologia pro Johanne Castellio & Jesuitis.* Hunc librum Jesuitæ, post ejectionem suam ex Galliâ, scripserunt, & ediderunt in Belgio: inque eo, à principio ad finem usque, discipuli sui Johannis Castellii propositum, quo Henricum IV. perimere conatus est, tanquam heroicum & justum, laudant & approbant; ut etiam Henrici III. parricidium: & Castellium meritò in numerum Martyrum relatum fuisse, affirmant.

Post tentatum etiam à Castellio Henrici IV. parricidium, cùm, ex decreto Parlamenti Parisiensis, omnia in Collegio Jesuitarum diligenter investigarentur; cognoverunt Inquisitores, Castellii præceptorem, JOHANNEM GUERET Jesuitam, hoc ipsum discipulos suos publicè ac privatim docuisse: ob eamque causam ille perpetuo exilio multatus est. Eademque pœnâ tum etiam affectus est Jesuita ALEXANDER HAJUS, ob similem culpam.

Similis tenoris est etiam consilium PELVÆI Cardinalis, interceptum à Vivonæo, Marchione Pisano, Regis Gallia Legato in Hispaniâ: *Monendos Guisianarum partium Sacerdotes; ut, dum peccata confitentes, & ad se accedentes consultores audirent, monerent illos, favendum Lotharingis & Guisianis, à Carolo Magno oriun-*

riandis, à quibus sperandam Romanæ religionis labascentis restaurationem: Henricum verò Tertium regno dejiciendum esse.

ARTICULUS II.

Si Subditi Lutheranum, sive alium hæreticum, habeant Regem aut Principem, qui ipsos in hæresin inducere conetur: tum illos Subditos ab omni homagio & obligatione solutos esse; ipsisque liberum ac permissum, hujusmodi Regem vel Principem abdicare, exterminare, & opprimere. Sed & veneno tales Principes, à Subditis vel Ministris suis, necari posse: ita tamen, ut is, qui perimendus est, nihil adjuvet; nec sibi ipsi mortem consciscat.

Subditos non teneri Magistratibus hæreticis parere; sed illos abdicare & perimere.

Sic in Actis HENRICI GARNETI Jesuitæ exstat: Anno 26. Regni Elisabethæ, venisse in Angliam Parrium, à Cardinali de Como persuasum, Reginam, ut ex Ecclesiâ ejectionem, occidere; & hoc jure optimo licere.

Ob eandem causam dictus Henricus Garnet, Osvaldus Tesmond, & Johannes Gerard, Jesuitæ, cum aliis complicibus, Anno 1605. in Angliâ, Regem, & Ordines regni, in Comitibus, pulvere tormentario displodere & perdere conspirarunt: ut ex Actis Henrici Garneti, Londini à Regio Typographo editis, apparet.

ALANUS Jesuita, in Apologiâ Stanlejanæ proditoris, hoc defendit: *Quandoquidem Elizabetha, Angliæ Regina, & heretica, & excommunicata esset: quod non modò liceret jam ejus Subditis, verum etiam conscientia nexu tenerentur, nudare eam omni, quo possent, presidio; & sive exercitus, sive oppida, sive arces & propugnacula ejus obtinerent, Regi Hispano tradere: ut Regina nihil amplius haberet proprium aut suum.*

FRANCISCUS SUAREZ, in Defensione Fidei Catholicæ, adversus Anglicanæ sectæ errores, lib. 6. cap. 4. scribit: *Rex hereticus, statim per hæresim, ipso facto, privatur aliquo modo dominio, & proprietate sui Regni: quia vel confiscatum manet; vel ad legitimum successorem Catholicum ipso jure transit. Et nihilominus non potest statim regno privari; sed justè illud possidet & administrat; donec, per sententiam saltè declaratoriam, criminis condemnatur. juxta c. Cùm sec. leges. de Her. in 6. At verò, post sententiam lat. am, omninò privatur regno; ita ut non possit justo titulo illud possidere. Ergo ex-tunc poterit, tanquam omninò Tyrannus, tractari; & consequenter, à quocunque privato, poterit occidi.*

JACOBUS SIMANCHA, de Excommunicatione, tit. 27. sect. 1. sic habet: *Si Reges, aut alii Principes, facti sunt heretici; prorsus subjecti & vasalli ab eorum dominio*

minio liberantur : nec jus hoc recuperabunt ; quàmvis postea reconcilientur Ecclesie. Et : Concedatur autem, ejusmodi abdicatum Principem relinquere filium legitimum, & certum heredem ; qui paterni criminis labe non sit inquinatus : illène in Regiâ dignitate succedet ? Neutrquam : pessundetur. Hæresis enim est lepra, & morbus hereditarius : & ex leprosis parentibus leprosi generantur filii.

TRESHAMUS Jesuita, in libro de Officio Principis Christiani, cap. 5. Si Princeps, inquit, hereticus sit, & obstinatè & pertinaciter intolerabilis : summi Pastoris divinâ potestate deponatur ; & aliud caput constituatur, cui subditi se jungant, & legitimo ordine & auctoritate tyrannidem amoveant.

CRESWELLUS, seu PHILOPATER, ad Edictum Elizabethæ Reginae, sect. 2. num. 157. scribit : Quemcunq; Principem Christianum, si à religione catholicâ manifestè deflexerit, & alios advocare voluerit, excidere statim omni potestate ac dignitate, ex ipsâ vi juris, tum humani, tum divini ; hocq; ante dictam sententiam summi Pastoris ac judicis, contra ipsum prolatam : & Subditos quoscunq; liberos esse ab omni juramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquam Principi legitimo, præstirissent : posseq; & debere, si vires habeant, istiusmodi hominem, tanquam apostatam, hereticum, & Christi Domini desertorem, & Republica suæ inimicum hostemq;, ex hominum Christianorum dominatu ejicere. Atque hanc esse certam, definitam, & indubitatam virorum doctissimorum sententiam. Et num. 162. Certè, ait, non tantùm licet, sed summâ etiam juris divini necessitate ac præcepto ; imò etiam conscientie arctissimo vinculo, & extremo etiam animarum suarû periculo ac discrimine, Christianis omnibus hoc solum incumbit : ob hæresis manifestum crimen, Principes deturbare, vel obsistere ne admittantur ; si præstare possunt.

MARIANA, lib. 1. de Rege, cap. 6. docet : Cum talibus, qui sacra patria (Romanam religionem) abjiciunt, tanquam cum canibus rabidis agendum. Et, laudandum eum, dicit, qui vitæ suæ periculo publicam utilitatem redimat : & hujusmodi Regem omnium telis exagitandum, quasi crudele monstrum terræ incubans. Et cap. 7. cujus titulus est, An liceat Regem veneno occidere ? & postea, An facultas sit, sicut armis, sic & veneno, herbisq;, lethalibus, tyrannum occidere ? inquit : Quid interest, ferro, an veneno perimas ? Veneno quod sit, minori periculo, & majori spe impunitatis fit. Hoc tamen temperamento, me auctore, veneno uti licebit : si non ipse, qui perimitur, venenum haurire cogitur, quo concepto pereat ; sed exterius ab alio adhibeatur, nihil adjuvante eo, qui perimendus est : nimirum cum veneni tanta vis est, ut fellâ eo aut veste delibutâ, vim interficiendi habeat. Et in fine ejusdem cap. concludit : In ejus vitam grassari quâcunque arte concessum : ne cogatur tantùm sciens aut imprudens sibi mortem consciscere.

Et ex hac Marianæ doctrinâ fluxit, quòd Jesuita RICHARDUS WALPOT, ante annos circiter 30. Anglum Eduardum Squire veneno instruxit, quod Reginae Angliæ, & Essexio Comiti, non edendum aut bibendum præberet ; sed quo fellam tantùm ita inungeret, ut ex ejus contactu uterque moreretur. Prout etiam antea, anno nimirum 1572. (quo, die Bartholomæi festo, duranti- bus adhuc Regis Henrici Navarræi nuptiis, horribilis illa laniena Parisiis, &

& multis aliis Galliæ urbibus, instituta & peracta est) senex vidua Regina Navarrae, intoxicato pari chirothecarum, subito interierat.

Prædictam autem doctrinam suam, de Regicidio, tam pertinaciter tenet MARIANA Jesuita; ut etiam Concilii Constantiensis Decretum (quo illa, tanquam impia, heretica, & omnibus modis perniciofa, rejecta & condemnata est) hisce verbis rejicere ac elevare ausit: *Hoc Decretum Romano Pontifici Martino V. probatum non invenio; non Eugenio, aut successoribus. Item: Concilium istud, non sine Ecclesie motu, tricipiti Pontificum dissidio, celebratum fuisse, scimus.*

Approbavit etiam hanc doctrinam Jesuitarum, de interficiendis Regibus, Censura libelli Marianæ, de Rege & Regis institutione, regiâ autoritate à Fr. PETRO de ONNA, Magistro Provinciali, facta; quæ sic de verbo ad verbum habet. *Disertum planè & eruditum virum, Johannem Marianam esse, (ut alia desint) tres libri satis indicant, quos de Rege & Regis institutione confecit, elegantes & graves. Hos regiâ autoritate diligenter & attentè perlegi, iterum & tertio facturum se per tempus & otium licuisset: ità semel lecti placuerunt. In simili argumento, auctores non pauci, Regni & Reip. statum componunt. Noster Regem, à primis annis susceptum, iis præceptis instruit, quæ eo loco digna sunt. Quippe in Deum conjectis oculis, ut sapiens architectus, ad eam regulam instituta fabrica fundamentis molem universam imponit. Aequum proinde judico, ut hoc opus, typis mandatum, in luce & hominum manibus versetur; eorum præsertim, qui ad Reip. gubernacula sedent. Qui si ad præscriptam in eo formam actiones & consilia retulerint; ne magnum atq; incredibile opera pretium exsistet. Datum in nostro, S. Mariæ de mercede redemptionis captivorum, cænobio, Madriti, die 30. Mensis Decemb. Anno 1598.*

Facultas autem imprimendi hos libros, hæc est: Stephanus Hojeda, Visitator Societatis Jesu in Provinciâ Toletanâ, potestate speciali factâ à N. Patre Generali, Claudio Aquâ-vivâ, do facultatem; ut imprimantur libri tres, de Rege & Regis institutione, quos scripsit & composuit P. Johannes Mariana, ejusdem Societatis: quippe approbatos prius à viris gravibus & doctis, ex eodem nostro Ordine. In cujus rei fidem, has literas dedi, meo nomine subscriptas, & mei officii sigillo munitas. Madriti, in Collegio nostro, quarto Non. Decemb. Anno 1599.

E' contrario, damnavit eandem doctrinam FACULTAS THEOLOGICA PARIENSIS, in Censurâ contra impios & execrabiles Regum ac Principum paricidas, post cædem Henrici IV. Galliarum Regis, à Francisco Ravaiillac patratam, editâ. Ea sic de verbo ad verbum habet.

Anno Domini 1610. cum sacra Theologiæ facultas, ob festa Pentecostes, & Comitia privata, inter viros selectos Ordinis Theologici, in presenti negotio agitata, suos statos & ordinarios conventus, primâ aut secundâ die Junii, habere non potuisset; illos in diem quartum Junii transtulit; atque omnes Magistros Theologiæ, in vim obedientiæ, quam emisso sacramento Facultati sponderunt, in Collegium Sorbonicum convocavit: ubi, post Missam de sancto Spiritu, more solito celebratam, deliberarunt super exsequutione Senatus-consulti; cujus summa hæc est.

Doctrina
Jesuitica
de Regi-
cidis, à
Sorbonâ
Parisiensi
rejecitur &
cõdemna-
tur.

Curia Parlamenti, de Curis, Majore, Rerum capitalium, atq; Edicti, unâ congregatis,

procedendo ad iudicium, & litem capitalem ac extraordinariam, Cognitoris generalis Regis postulatione instructam, adversus nefandissimum, crudelissimum, & execrabilissimum parricidium, in sacratam personam Henrici IV. Regis patratum, audito Cognitore generali regio, decrevit atque decernit: ut, diligentia & procuratione Decani & Syndici Facultatis Theologicæ, eadem Facultas quàm primùm convocetur, ad deliberandum super confirmatione Decreti prædictæ Facultatis, quod die 13. Decemb. Anno 1413. à centum-quadragesimo & uno Theologis ejusdem Facultatis, constitutum; dehinc verò, Concilii Constantiensis auctoritate roboratum fuit: quo Decreto definitur, NEMINI licitum esse, quacunque occasione, causâ, aut prætextu quæsito, sacrosanctis Regum, & aliorum Principum supremorum personis, vim inferre. Deinde, ut Decretum, quod in ejusdem Facultatis Comitii statuatur, omnium Doctorum, qui Comitii & deliberationi interfuerint, nec non etiam omnium Baccalaureorum, qui cursum Theologicum decurrunt, syngraphis manuetur; quod tùm demùm, audito super eâ re Cognitore generali regio, Curia decernat, quod justum & rationi conforme erit. Datum in Parlamento, 27. Maji, Anno Domini 1610. Signatum, Voylin.

Itaque eadem sacra Facultas, ut mandato amplissimi Ordinis, tam justa & necessaria præcipientis, obtemperaret; primùm privata, deinde publica habuit Comitii. Considerans autem sibi ex officio incumbere, ut suam Censuram, & Judicium doctrinale, cunctis illud poscentibus declaret, atque Parisiensem Academiam, à primis suis incunabulis, parentem & alumnam optime ac saluberrimæ doctrinæ perpetuò existisse; bonum & tranquillitatem Reipub. ab ordine, ordinem porro & pacem, secundum Deum Opt. Max. à Regum & Principum salute pendere; ac solius esse Principis & potestatis politicæ, gladio uti, Rom. 13. Insuper paucis ab-hinc annis, nonnulla peregrina, seditiosa, atque impia dogmata invaluisse; quibus plerique privati homines demeritati sacrosanctos Reges & Principes, execranda appellatione TYRANNI contaminare; hocq; nefario prætextu, nec non religionis, pietatis, aut boni publici juvandi vel promovendi specie, in sacrosancta Regum & Principum capita conspirare, suasq; manus parricidas sacro illorum sanguine cruentare; ac continuo patentissimam fenestram aperire non horrent, ad perfidiam, ad fraudes, insidias, proditiones, populorum internecciones, Urbium, Provinciarum, ac Regnorum florentissimorum excidia, & ad alia innumerabilia nequitie genera, quæ civilia aut externa bella concomitari solent. Demùm, tam pestifera & diabolica dogmata hodiè in causâ esse, ut, qui discessionem ab Ecclesiâ Catholicâ & Romanâ fecerunt, in suo errore obdurescant, virosq; religiosos, Doctores & Prælatos Catholicos, quanquam insontes, quasi talia docerent vel auctorarent, fugiant ac detestentur: Eadem (inquam) Facultas, hæc & similia consideratè perpendens, magnâ animorum consensione & alacritate, ista peregrina & seditiosa dogmata, velut impia, heretica, societati civili, paci & tranquillitati publicæ, ac religioni Catholicæ, penitus contraria, execratur atque condemnat. In cujus rei fidem & testimonium, Decretum antiquum sibi de integro renovandum esse duxit, quod ducentis ab-hinc annis, à centum-quadragesimo & uno Theologis, sancitum fuit, in condemnatione hujus execrabilis Propositionis: Quilibet Tyrannus potest & debet licitè & meritorie occidi, à quocunque suo vasallo aut subdito, & per quemcunq; modum, maximè per insidias, & per adulationes; non obstante quocunque juramento, aut

confederatione factâ apud eum; non expectando sententiam aut mandatum Judicis cujuscunq;.

Sequitur verò Censura Facultatis.

Hæc assertio sic generaliter posita, & secundum acceptionem hujus vocabuli *TRANNS*, est error in nostrâ fide, & doctrinâ bonorum morum: & est contra præceptum Dei, *NON OCCIDES*; Glossa, propriâ auctoritate: & contra hoc, quod dicit Dominus noster; *OMNES QUI GLADIUM ACCEPERINT*, (Glossa, propriâ auctoritate) *GLADIO PERIBUNT*. Item, hæc assertio vergit in subversionem totius Reipublicæ, & uniuscujusq; Regis aut Principis. Item, dat viam & licentiam ad plura alia mala, & ad fraudes, & ad violationes fidei & juramenti, & ad proditones; & generaliter ad omnem inobedientiam subjecti ad dominum suum; & ad omnem infidelitatem & dissidentiam unius ad alterum; & consequenter ad eternam damnationem. Item, qui affirmat obstinatè talem errorem, & alios, qui inde sequuntur, est hæreticus; & tanquam hæreticus debet puniri, etiam post suam mortem. Notetur in Decretis, 23. q. 5. & c. Actum Ann. 1413. die Mercurii, 13. Decemb.

Quæ Censura Facultatis Parisiensis, in Synodo Constantiensi, Sess. 15. Anno 1415. prid. Non. Julii, his conceptis verbis comprobata fuit. Præcipuâ sollicitudine volens hæc sacrosancta Synodus, ad extirpationem errorum & hæresum, in diversis Mundi partibus invalescentium, providere; sicut tenetur & ad hoc collecta est: nuper accepit, quod nonnulla assertiones, erroneæ in fide, & bonis moribus, ac multipliciter scandalose, totiusq; Reipub. statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatae sunt; inter quas hæc assertio delata est: *QUILIBET Tyrannus potest & debet licitè & meritorie occidi, per quemcunq; vasallum suum vel subditum; etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, vel adulationes: non obstante quorumcunq; præstito juramento, seu confederatione, factis cum eo: non expectatâ sententiâ Judicis cujuscunque.* *ADVERSUS* hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditus tollere, præhabita deliberatione maturâ, declarat, decernit, atq; diffinit; hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & in moribus: ipsamq; tanquã hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, & mendacia, proditones, perjuriam, vias dâtem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit, & diffinit, quod pertinaciter doctrinã hanc perniciosissimam asserentes sunt hæretici; & tanquam tales, juxta canonicas sanctiones puniendi.

Sacra igitur Facultas sancit, stricte accuratèq; exploratis omnium & singulorum Doctorum suffragiis: primò, antiquam illam Censuram Facultatis, Synodi Constantiensis sanctione firmatam, non modo iterari, verum etiam omnium hominum animis inculcari debere. Secundò censet, seditiosum, impium, & hæreticum esse, quocunq; quæsito colore, à quocunq; subdito, vasallo, aut extraneo, sacris Regum & Principum personis vim inferre. Tertio statuit, ut omnes Doctores & Baccalaurei Theologia, quo die in statuta & articulos Facultatis jurare consueverunt, in hoc similiter Decretum jurent, ac syngrapha sua appositione obtestentur, se illius veritatem, docendo & concionando, diligenter explicaturos. Quarto, ut hæc Acta, tum Latine, tum Gallicè, typis mandentur ac evulgentur.

De mandato Domini Decani, & saceratis, Facultatis Theologicae.

De la Court, cum syngraphâ.

Marianæ liber de Regicidio, per Parlamentū Parisiense condemnatur, & publicè cōburitur.

Censuram & sententiam hanc Facultatis Theologicæ Parisiensis, Parliamentum regium ibidem, die 8. Junii, approbavit & confirmavit. Decrevit insuper primò, ut hæc Censura inter Acta publica Parlamenti referatur & scribatur. *Secundò*, ad instantiam Procuratoris regii, præcepit, ut in Conventu Facultatis hujus, quotannis 4. Junii, & proximâ indè Dominicâ, in omnibus parochialibus templis, atque etiam suburbiis, Lutetiæ, populo publicè prælegatur. *Tertiò*, ut Johannis Marianæ liber, in quo hæc doctrina, de parricidiis Regum ac Principum, manifestè approbatur & defenditur, in areâ ante summum ac primarium templum Lutetiæ, in ignem conjiciatur & comburatur; in æternam rei memoriam, quòd doctrina hæc, in eo contenta, sit hæretica, impia, perniciofa, & erronea. *Quartò* prohibuit, ne quis, cujuscunque sit status, conditionis, vel ordinis, hanc doctrinam, vel vivâ voce, vel editis libris, spargat atque defendat.

Rectè autem ille & prudenter, quisquis sit, Gallos sic monuit:

Galli, si sapitis, quid librum traditis igni?

Authores vestris pellite limitibus.

In cineres abiit liber unus; mille relicti.

Horum turba loquax; mutus at ille furit.

Hortos qui cupiunt penitus purgare veneno,

Radices properant vellere; non folia.

Jesuitæ linguam variant; non animum.

JESUITÆ igitur, quòd Regum & Principum, omniumque adeò bonorum, odia, ex Marianæ & ejus similium libris, contra se & universum ordinem suum concitata, quadam-tenus declinarent; linguam suam variare, & prædictam doctrinam parricidiale verbis externis retractare ac rejicere, cœperunt. Atque hinc est, quòd LUDOVICUS RICHEOMUS Jesuita, in Expostular. apolog. pro Societ. Jesu, cap. 21. *Doctrina*, inquit, *ista, de Tyranno occidendo, est exitialis; & ab universâ Ecclesiâ improbata; & in Constantiensi Concilio condemnata.* Itèm: *illa doctrina est Anabaptistarum; & in Oecumenico Constantiensi Concilio damnata.* Et cap. 28. *Alterum, inquit, illud est Tyrannorum genus, qui, more ac legibus ad Regni administrationem acciti, more tyrannico tamen imperant: quos attingere ac ledere, nemo privatus debet, aut subditus. Hinc est, quòd David Saulo Regi nunquam est ausus manum inferre.*

In Conventu quoque Provinciali, quem anno 1606. Parisiis habuerunt Jesuitæ, ei, quem Procuratorem ad Præpositum generalem Societatis, Provinciæ nomine, destinârunt, id mandati dederunt: ageret cum Generali, ut compefceret eos, qui libros tales edunt, è quibus Regis, totiusque Regni Gallici, offensio & odia jure timerentur; neve eos, qui jam emissi essent, recudi pateretur.

CLAUDIUS igitur de *Aqua-vivâ*, Præpositus Generalis Jesuitarum, (cùm hæc Procurator ad eum retulisset; simulque intellexisset, Marianæ librum in Galliâ damnatum) sequens Decretum promulgavit; cujus verba hæc sunt.

QUANDO QUIDEM Societatis Scriptoribus, ac Theologis, qui docent, ceterisque omnibus operariis, haud satis est, id solum providere, quod in aliorum Scriptorum libris reperi-

peritur; sed illud etiam apprimè cōsiderandum, sint'ne opiniones validis nixæ fundamen-
tis, tutæ, probatæ; scandalis, aut aliis incommodis, minimè obnoxia: Idè sanè justissimas
ob causas, quæ ad hoc consilii nos impellunt, præsentì Decreto præcipimus in virtute sanctæ
obedientiæ, sub pœnâ excommunicationis, & inhabilitatis ad quævis officia, suspensionis à
divinis, & aliis arbitrio nostro reservatis; ne quis deinceps nostræ Societatis Religiosus, pu-
blicè aut privatim, prælegendò, seu consulendo, multò etiam minùs libros conscribendo, af-
firmare præsumat: Licitum esse cuicunq; personæ, quocunq; prætextu tyrannidis, Reges
aut Principes occidere, seu mortem eis machinari. Ne videlicet, isto prætextu, ad perni-
ciem Principum aperiatur via, atque ad turbandam pacem, eorumq; securitatem in du-
bium vocadã, quos potius ex divino mandato revereri, ac observare oporteat, tanquam
personas sacras, à Domino Deo, pro felici populorũ gubernatione, in eo gradu constitutas.
Provinciales autem, qui aliquid horum resciverint; nec emendaverint, aut non prævene-
rint hujusmodi incommoda, efficiendo, ut hoc Decretum sanctè observetur: volumus, eos
non modò prædictas pœnas incurrere, sed etiam officio privari. Ut sic omnes intelligant,
quæ sit eã de re Societatis sensus; neq; privati unius error suspectam reddat Societatem u-
niversam. Cùm apud æquos rerum æstimatores certum sit, partis unius aut membri cul-
pam, toti corpori reliquo attribui jure non debere. Volumus præterea, ut Provinciales de
hoc accepto Decreto certiores nos faciant; idemq; per suam quisq; Provinciam curent
promulgandum, & in singulis Domibus & Collegiis referendum in libros Ordinationum,
ad perpetuam ejus memoriam.

Seriò autem, an dolo, Jesuitæ, aut Generalis ipsorum, cum hoc Decreto ege-
rint: non solùm ex potestate illius speciali, librum Marianæ imprimendi, Ste-
phano Hojedæ factã; (cujus paulò antea meminimus) sed multò etiam magis
ex eo cognoscere est: quòd quadriennio pòst, anno videlicet 1614. FRAN-
CISCUS SUAREZ Jesuita, eandem illam doctrinam parricidalem denuò
interpolavit & publicavit. Cujus liber propterea, quòd Maximas contineret
ac Propositiones, contrarias potestati supremæ Regum, ordinatæ ac stabilitæ
à Deo, ad securitatem personarum, quietis & tranquillitatis statûs ipsorum:
eãdem ratione, quã priùs Marianæ liber à regio Parlamento Parisiis conde-
mnatus, & per carnificem publicè est combustus; uti Extractum è Registris
Parlamenti docet, quod ità habet.

Viso à Curia, Cameris, Majore, Turricularum & Edicti, congregatis, libro impresso
Colonie, anno præsentè, cum hoc titulo: Francisci Suarez, Granatensis, è Societate
Jesu, Doctoris Theologi, Defensio fidei Catholicæ & Apostolicæ, adversùs
Anglicanæ sectæ errores, &c. continente, libro tertio, cap. 23. pag. 376. 79. 80. 82. cap. 29.
pag. 410. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 20. cap. 6. pag. 834. cap. 8. pag. 844. & alibi, multas Proposi-
tiones, contrarias potestati supremæ Regum, ordinatorum & stabilitorum à Deo, ad quie-
tem & tranquillitatem Statuum ipsorum &c. quòd licitum sit Subditis ipsorum, & pere-
grinis, personas ipsorum invadere: factã conclusione per Procuratorem generalem, & o-
mnibus consideratis, Curia prædicta declaravit, & declarat, Propositiones & Maximas, in
dicto libro contentas, scandalosas & seditiosas esse; rendereq; ad subversionem Statuum,
& ad permovendos Subditos Regum & Principum supremorum, & aliorum, ut violentas

manus sacratissimis ipsorum personis inferant : sententias item , qua mentionem faciunt Regum Ludovici & Philippi Pulchri, falsas & calumniosas esse. Quapropter decrevit & decernit, ut praedictus liber Suarezii, in Curia Palatii, per ministrum supremam Justitiam comburatur. Similiter interdicit Bibliopoli & Typographis, imprimere, vendere, aut mutuo sumere; & quibuscumq; personis, cujuscumq; conditionis & qualitatis, habere, scribere, & tenere, sive docere in Scholis, aut alibi, uti etiam disputare, praedictas Maximas & Propositiones. Praeterea decernit, juxta Decretum diei 8. Junii, 1610. ut Decretum Facultatis Theologicae, diei 4. Junii, ejusdem anni, super renovatione Censurae doctrinalis ejusdem Facultatis, anno 1408. confirmatae per Concilium Constantiense, una cum praesenti Decreto, & illorum 1578. & 95. recitentur singulis annis, 4. Junii, tam in praedicta Facultate, quam in Collegiis Sacerdotum & Scholasticorum Collegii Claromontani, & quatuor Mendicantium: & ut, ad instantiam Procuratoris generalis Regis, instituaturs informatio transgressionum nominati Edicti, & prohibitio de ejusmodi libris scribendis & servandis.

Actum in Parlamento, d. 26. Jun. 1614.

Præterea decretum est, ut Patres, Ignatius Armandus, Rector in hac civitate, Cotton, Fronton, Sirmundus, proximâ die in Curiam vocentur; eisq; demonstretur, quod contra Declarationem & Decretum ipsorum Generalis, anni 1610. liber iste Suarezii & impressus, & in hanc civitatem illatus sit, contra auctoritatem Regis, ejusq; securitatem personae & status: quibus etiam injungetur, ut Generali suo significant, eum praedictum Decretum & renovare, & publicare debere. Cujus quidem rei actum instituent intra spatium semestris; & providebunt, ut ejusmodi libri in posterum nec componantur, nec mittantur in lucem à Societate sua, continentes Propositiones tam damnabiles & perniciosas. Injungetur quin-etiam eis, ut exhortentur populum in concionibus suis, ad doctrinam supra-commemoratis Propositionibus contrariam. Alioquin Curia procedet contra transgressores, ut reos laesae Majestatis, & perturbatores quietis publicae.

Decretum praedictum, & quod insuper conclusum fuit, publicata sunt praesentibus Patribus, Ignatio Armando, Carolo de Turre, qui loco Cottonis absentis comparuerat, Frontone Duceo, & Jacobo Sirmundo. Et Decretum executioni mandatum est, ante gradus majores Palatii, 27. Jun. 1614.

Libro Suarezii Jesuitæ à Parlamento Parisiensi sic condemnato, & per carnificem publicè cremato, sequente anno, tertii quoque in Galliâ Status, de doctrinâ hac, declaratio in hanc sententiam publicata est. Exortâ superioribus annis, & seditiosis libris propagatâ doctrinâ impiâ, qua supremi Magistratus potestati insidiatur: cum de indubitato Regis jure satis omnibus constet; rogatum eum submisit vellet, ut, quemadmodum pro eo, qui supremam potestatem ab ipso Deo immediatè accepit, ab omnibus agnoscaturs & habeatur; sic non permittat, ut ulla aliqua potestas, sive ecclesiastica, sive politica, tantum sibi juris sumat: ut pretendere aliquid in Regiam suam Majestatem, & Subditos ab obedientiâ ipsi debitâ, ob quamcumq; causam, absolvere possit. Hanc enim memorabilem, & verbo divino congruentem, conservandâq; saluti publicae maxime convenientem regulam, ab omnibus, cujuscumq; status &

conditionis, Subditis, pro sanctâ & inviolabili lege habendam; & Officiariis Ministrisq; omnibus & singulis, antequam vel beneficiorum participes fiant, vel ad officia sua admittantur jurejurando acceptandam, & subscriptione sigilloq; proprio confirmandam esse: Contrariam verò, eam potissimum, quæ licere Reges vel interficere, vel exauctorare, & obedientia ipsorum se subtrahere, statuit, impiam, & veritati utilitatiq; publicæ contrariam: omnes, quibus id per scriptum reperitur, libros, tanquam seditiosos, execrandos & damnandos: & auctores quoscunq; talia scribentes, & in publicum edentes, externos quidem, pro juratis Regiæ Majestatis hostibus; indigenas verò, & cujuscunq; status & conditionis sint, pro seditiosis, rebellibus, legum violatoribus, & criminis læsæ Majestatis reis, habendos esse. Imperandum igitur omnibus Parentibus, ut Liberis; Præceptoribus, ut Discipulis; Professoribus, ut Studiosis; & Concionatoribus, ut Auditoribus suis, Regulam hanc diligenter inculcent. Quod si, edito ab exteris Ecclesiæ Ministris & Doctoribus libello, aliquid, vel directè, vel obliquè, adversus regulam hanc prolatum fuerit: necessitatem Ecclesiasticis ejusdem Ordinis, illud, sinè omni personarum respectu, refutandi, nò crimen læsæ Majestatis incurrere velint, imponendam esse.

Pro conclusione capituli istius, subjiciendum videretur hoc loco mysterium Jesuitarum, quo initiari solent eum, quem ad Principis alicujus parricidium induxerunt: ubi & de Meditationum eorum Camera; & Origine doctrinæ Jesuitarum de Parricidiis.

Jesuitæ cubilia habent mystica & exorcizata; in quæ ii, quos ad facinus patrandum destinaverunt, benedicendi, sanctificandi, & in Beatorum ac Cœlitum civitatem adscribendi, introducuntur. Exstat processus integer, Delphis, apud Joannem Andrææ bibliopolam, excusus; quum Jesuitæ, per hujuscemodi subornatum parricidam, Principi Auraniensi necem machinati essent. Habet autem in hunc modum.

Is, cui eodem Domini, aut Principis sui, suscipiendam Jesuitæ persuaserunt, infelix homo, in Meditatorium, seu Oratorium, secretò introduci solet. Ibi culter, linteolo involutus, & eburnâ circumq; circa caracteribus variegatâ cistulâ, cum agno Dei, inclusus, profertur. Quem, dum è vagina educitur, aqua benedicta guttis stillatim irrorant; & globulos corallinos consecratos manubrio appendunt: indulgentiâ factâ, ut, quot ictibus necandum Principem petiturus esset, totidem animas ex Purgatorio educeret. Tum cultrum parricide in manum præbent, hisce verbis commendantes: Electe fili Dei, accipe gladium Jephthæ; gladium Samsonis; gladium Davidis, quo Goliatho caput præcidit; gladium Gedeonis; gladium Judithæ; gladium Maccabeorum; gladium Papæ Julii II. quo se à Principum manibus, plurimo civitatum sanguine fuso, liberavit. Vade, & esto prudenter animosus. Deus brachium tuum confortet!

Quo factò, omnes in genua prociidunt; & primarius ex eis talem recitat exorcismum: Adeste Cherubim; adeste Seraphim; vos Throni, vos Potestates; adeste vos sancti Angeli, & replete beatum hoc vas perpetuâ gloriâ, & quotidie illi offerre coronam B. Mariæ virginis, SS. Patriarcharum & Martyrù. Non amplius nostri est, sed vestri cõsortii particeps. Et tu Deus, qui terribilis & invincibilis es, quiq; ei in Meditatorio, ac Oratorio suo, ut Tyrannum ac Hæreticum extinguere, & coronam ejus in Catholicum Regem conferre vel-

Quomodo
Jesuitæ:
luos parricidas animare, & in proposito, confirmare soleant.

let, revelasti; corrobora, quæsumus, hujus, quem ad id opus consecravimus, membra: adauge ejus vires, ut voluntatem suam perficere possit: da ei lorica[m] divini-potentem, quæ comprehendentium manus effugiat: da ei alas, quibus sancta ejus membra Barbarorum proditorum conatus vitabunda evadant: effunde in ejus animam lætificantes tuos radios, quibus corpus, omni metu deposito, in mediis periculis & cruciatibus, gaudio & exultatione perfusum animetur.

Hoc peracto exorcismo, ducitur parricida ante altare: in cujus pinace, depicta est Historia Jacobi Clementis, Monachi Dominicani, cum imaginibus Angelorum eum protegentium, ad cælumq[ue] ducentium. Hanc ei Jesuitæ ostendunt, & simul præsentant cælestem coronam, dicentes: Domine, respice hîc brachium tuum, & exsecutorem justitiæ tuæ. Omnes Sancti assurgant & huic locum cedant.

Quibus omnibus completis, quatuor tantum Jesuitæ deputati sunt, qui soli cum parricidâ colloquantur. Hi inter sermones sæpè dicere solent, divinam quandam in eo claritatem apparere; cujus radiis permoveantur, ad manus ejus & pedes osculandos: nec amplius sibi eum hominem videri; sed jam in Divis repositum. Se-se etiam asimulant, quasi tantam ei gloriam ac beatitudinem, ad quam jam-nunc provectus sit, invideant; ingemendo dicentes: Quòd urinam Deus me tuo loco elegisset, & hac ratione confirmasset, ut, liberatus à pœnis Purgatorii, rectè viâ in paradysum perducerer!

Quòd-si verò is quem idoneum esse rentur parricidio perpetrando, tergiversetur, & persuasionibus recalcitret: tum aut terriculamentis nocturnis, monstrorumq[ue] occurfaculis, ad vorum ejusmodi concipiendum, adigunt; aut per subornatas D. Mariæ virginis, vel Angelorum, vel aliorum Cælitum, nec-non ipsius aliquando Ignatii, ac sociorum ejus, personas, & à pœnis apparentes, ad facinus animant, & inducunt. Ità scelerati isti & parricidiales magistri, nunc formidine pœnæ, nunc adumbratæ virtutis amore, incautos adolescentem miseris, & vindicandis exemplis, circumscribunt; & in anima pariter corporisq[ue] discrimina precipitant.

Assassini
qui.

Genus hominum in Oriente fuisse memorant, quos pleriq[ue] Historicorum Assassinos; Pius Papa & Nicolaus Gillius, *Arsacidæ*; Nicetas, *Chassios* nominarunt. Hi Mahumetanæ disciplinæ addicti, novam sibi sectam instituerunt: cujus Præfecto generali sedem Muletæ, qui locus sanctus habebatur, ordinavêre. Auctor sectæ ac princeps, ALAODIM quidam fuisse perhibetur, miles veteranus; vulgò *Senex de Montanis*; à suis Pater & Prophetæ dictus. Iste sub se & Rectores alios habuit: qui Palatia munita, splendida, & admodum quàm-elegantia amœna hortorum, colebant. Ratio & disciplinæ institutum, in tuendâ absolutâ Prophetæ ac Principis sui autoritate super universas gentes, vertebatur. In eam rem ipsa Palatia sive Collegia instituta: ut studiosam juventutem ad Mahumeti legem, Alcorano comprehensam, conformarent; & delectu ingeniorum habito, juvenes audaciores, ac ferociori animo præditos, observarent, fecernerent, segregarentq[ue].

Dogmata
Assassinorum.

Dogmata nefariæ hujus disciplinæ, hæc cum-primis referuntur.

1. Mahumetum esse Dei Prophetam; reparatorem generis humani; bonorum ac malorum retributorem.

2. Ejus

2. Ejus vicarium Prophetam, ac Principem Muletanum, esse in terris constitutum super omnes gentes; unicum divini & humani juris, à Mahumeto traditi, interpretem.

3. Jus fasq; esse, Principes ejus dicto non-audientes occidere, vi, fraude, dolo, pro re natâ & oblatâ occasione.

4. Nec discipulos ejus Principi alteri cuiquam obstrictos ac obnoxios esse; licet fidem simulatam sacramento jurârint.

5. Animam esse immortalem; eiq; post hanc vitam imminere premia aut pœnas, pro dictorum factorumq; commertis.

6. Paradysum esse, hortum lacte & melle affluentem, & omni deliciarum ac voluptatum genere abundantem: in quo beatorum anima premia, quæ ad totius corporis voluptatem faciunt, pro virtute recipiant.

7. Primam ac summam virtutem, Deoq; omnium gratissimam, esse obedientiam: eamq; in eo consistere, ut Præpositos suos vereantur, ac observent, & in justis eorum exsequendis promptos se-se, paratos & alacres, præstent; h. e. ut Paulus Venerus ait, ut animi sui (scilicet Prophetæ) detestabile exsequantur propositum.

8. Qui, pro legis Mahumetanae emulatione, aut bello, occumbat, aut in cæde hostis comprehensus interficiatur; animam suam rectâ, & cum ipso extremo oris halitu, ad gaudia illa paradisiaca transmittere. Qui verò domi desides, & lecto immorientes, pereant; summis prius cruciatibus, per multa annorum curricula, purgari, quàm ad Paradisum queant penetrare: ubi tamen nec solidis gaudiis, & minùs perfectis, quàm illi audaces bellatores, perfuturi sint.

9. Qui autem Principem aliquem Legis adversarium interemerit; proximum à Mahumeto locum in Paradiso, cum sanctis Prophetis, adepturum esse.

10. Deniq; esse in potestate Prophetæ, (quem, uti dictum, Patrem sive Senem indigerant) sibi à Mahumeto datâ atq; concessâ, Paradisi gaudia distribuere; eorumq; gustum aliquem, etiam in hoc corpore constitutis, modo incomprehensibili exhibere.

Ad hæc pestifera, & horrenda dogmata, in Scholis ac Collegiis suis, adolescentum animis, ad audaciam ituris, viam faciebant: ut eos obsequentiores sibi redderent, & ad omne vitæ periculum intrepidus: quorum primarium Muletæ seminarium fuit. Hæc delecti juvenes, ad eam, quam dixi, institutionem docti & educti, potu soporifero hausto, in viridarium, Palatio seu Collegio contiguum, portabantur: ubi somno experrecti, illarum voluptatum experimentum caperent. Rivuli varii, aquâ, melle, vino, & lacte, fluentes; varia Musicæ artis instrumenta, melodix, choreæ, tripudia, palæstræ; vestes preciosæ, & mirus apparatus omnium delectabilium rerum: quibus pro voto fruebantur juvenes, intra viridarium positi; qui aliud nihil faciebant, quàm quòd vitam beatam vivebant, tristitiæ nullum dantes locum. Præstò erant & puellæ formosæ, variarum libidinum spintrices; & pueri calamistrati, ad nutum ministrantes. Tanto gustu voluptatis imbibito, iterum, in soporem dati, ad Collegium & habitacula sua reducebantur. Tunc illi redeuntes, (verba sunt Pauli Veneri) & reminiscetes, quibus & quantis ad modicum tempus potiti fuissent gaudiis, supra modum dolebant, & tristes efficiebantur; quòd deliciis illis perpetuo

frui non concessum sit: mortē libenter subituri, modò hac vitâ, tam modicè degustatâ, semper vivant. Tunc Tyrannus ille, qui Dei Prophetâ se esse mentiebatur, agebat illis: Si paratī estis, ut pro meâ obedientiâ mortem intrepidè, ubi illata fuerit, subeatis; parricides vos pronuntio futuros illorum gaudiorum, quæ ad horam vidistis. At miseri illi, mortem lucrum putantes, nihil tam difficile ajunt injungendum; quod, pro illâ beatâ vitâ consequendâ, non libenter subeant. Abutitur igitur Tyrannus ille his præfractis hominibus, ad innumera homicidia: quippè qui corporalem vitam prostituentes, contemnebant etiam mortem ipsam, &c. Hæc Paulus. Cui Nicetas Choniates consonans, Et ad eos missi, inquit, quos eorum Principes occisos volunt, ut hospites & amici adeunt; & aut se habere, quod eis dicant; aut Legatos venire, simulantes, sæpè Dominorū suorum adversarios pugionibus occidunt: nullâ difficultatis & explorari supplicii ratione habitâ, etiam si alterum non occiderint. Et pergit Paulus: Ut omnibus hominibus essent formidini, & nemo insania illorum resistere auderet. Sicq; siebat, ut multæ regiones, & potentes viri, Tyranno illi tributarii fierent: donec tandem à Tartaris Pseudo-propheta ille oppressus, & cum omnibus Assassinis suis extinctus fuit, circa annum Christi nati M C C L X I I.

Ad eundem profus modum Jesuitæ juventutem, in Scholis & Collegiis suis, informant & erudiunt; propositâque præstantissimi gaudii cœlestis mercede & divinæ venerationis honore, ad quodvis parricidiale facinus perpetrandum, inflammant & propellunt.

DE MENTIENDI ARTIFICIO

JESUITARUM, QUAM ÆQUIVOCATIONEM VOCANT.

CAPUT IV.

ARTICULUS I.

Hæreticos & verbis & factis decipere, Jesuitis licitum est.

JESUITIS, aliisq; Papistis, præsertim Clericis & Ecclesiasticis, liberū permixtumq; esse, quando ab Hæreticis magistratibus examinantur, æquivocationum deceptionibus; itemque mentitis nominibus, & vestibus uti, & veritatem suppressere: nimirum, ut commodiùs se passim insinuare, & conatus suos promovere possint.

Sic EDMUNDUS CAMPIANUS, in Epistolâ ad Generalem Societatis, anno 1583. Treviris excusâ, fatetur; *In Angliâ sæpè se commutare nomina, & habitum dementissimo esse.* Et in Epistolâ de Persecutione Anglicanâ; *Jesuitas nomina non rectè profiteri; sed mentitis nominibus, mentitâq; veste uti.*

In Actis Jesuitæ HEINRICI GARNETI, ipsiusmet Garneti, ut & sociorum ejus, Osyvaldi Telmondi, Johannis Gerardi, & Josephi Cresvelli, aliquot falsa

falsa nomina recensentur. Sic Jesuita Ratisbonensis, JACOBUS KELLER, author Philippicæ contra anonymum Prædicantem, falso nomine *Jacobi Sylvani* usus est. ut & ejus interpres ac socius, CUNRADUS VETTER, falso nomine *Cunradi Andreae*, legitimi fratris *Jacobi Andreae*. CAROLUS SCRIBANIUS, Rector Jesuitarum Antuerpiæ, infami suo libro, quod Amphitheatrum honoris inscripsit, per anagrammatissimum, *Clarum Bonarscium* se scripsit. ut de aliis infinitis jam taceamus.

MARTINUS NAVARRUS Azpilcueta (cujus doctrinâ Gregorius XIII. inconcussam sanctamq; esse attestatur) integrum tractatum de Æquivocationibus, super c. 11. Humanæ aures. cauf. 22. qu. 5. in gratiam illustrissimæ (ut ait) Societatis Jesuiticæ, scripsit: ubi etiam hanc mentiendi artem, bonam & utilem simulandi & dissimulandi artem, prudentiam, & virtutem, appellavit; &, qui bonâ hac prudentiâ utuntur, laudandos esse, dixit. Quin-etiam docuit, licitè posse aliquem occultare, quòd sit Catholicus. GREGORIUS de VALENTIA Jesuita, Tomo 3. Disput. 5. qu. 13 de Reo. prudentem defensionem vocat.

HEINRICUS GARNETUS etiam, de toto hoc argumento, & naturâ Æquivocationis, quid sentiret, explicare jussus; hoc responsum dedit. De Æquivocatione ità censeo. In rebus moralibus, & communi usu vitæ, quando veritas inter amicos requiritur, uti æquivocatione haud licet: id enim societati hominum magno malo cederet. Quare huic remedio in istis nullus locus. Quoties verò de necessariâ defensione agitur, deq; injuriâ aliquâ evitandâ, aut damno; aut de consequendo aliquo bono non parvi momenti, sinè ullo cujusquam periculo: tùm licita est æquivocatio.

Idem quoq; has Jesuitarum fraudulentas Æquivocationes, quum Londini pro tribunali staret, hoc mendacio defendere & excusare conatus est. Jesuitarum Ordo, inquit, mendacium quodcumq; improbat; præsertim verò in causis fidei & religionis: cùm sit illud genus mendacii omnium perniciosissimum; & à D. Augustino in Priscillianistis condemnatum. Imò verò, quâcumq; in causâ mentiri, & malum & peccatum est: utcumq; inter octo gradus, quos Augustinus facit, ille reverâ gradus infimus habeatur; ità mentiri, ut uni incommodum cedat, quod sinè cujusvis sit incommodo. Illa igitur, quam nos defendimus, Æquivocatio, legitimum quarundam Propositionum usum defendit; mendacii neutiquam patrocinator. Fieri enim potest, ut quis ab homine, penes quem nulla sit inquirendi auctoritas, interrogetur; aut de re aliquâ examinetur, cujus cognitio ad interrogantem minimè pertineat: verbi causâ, *Quid aliquis cogitet? Quo tempore igitur oportet veritatem dicere; æquivocare non licet. Quòd-si secus sit: licet, &c.* Attornatus autem, Generalis Angliæ, ad hoc sic respondit: Verum quidem est, specie-tenus mendacium & perjurium condemnare videntur. Quòd-si secus fecerint, ipsorum scelera essent in medio posita; omnibusq; exosi essent. Verum, quæ condemnant, mendacia perjuriamq; aperta sunt & hiantia: mendacia autem secreta, perjuria clancularia, falsa testimonia, quæ maximè detestanda, quæq; neq; defensionem, neq; exemplum habent, approbare videntur. Quòd-si in aliis ut plurimum non probent; at in semet-ipsis, & sui similibus, atq; conjugationum sociis, probant & defendunt, præsertim cùm ad conatus suos perficiendos, illis usui & adminiculo esse possit.

Hæc quoque Garneti protestatio (*quo tempore veritatem dicere oportet*) est contraria suo ipsius facto. Cum enim à magistratu interrogatus maximè, pernegâisset, se conscium machinationis cum pulvere tormentario fuisse, ac pro ejus felici successu preces habuisse; mendacii deinde convictus, respondit: *Se quidem de prospero magna illius actionis eventu preces obtulisse; illud tamen eo animo sensuq; fecisse, quòd severiores quasdam leges tum subveritus fuisset.* Rursus interrogatus à Judice; *An Jesuitam Hallum, alias Oldcornum, non convenisset?* monitus que, ut sine æquivocatione in veritate responderet; pertinaciter, & animæ salutem restatus, respondit; *Se cum illo non fuisse:* idque horrendis execrationibus repetiit. Postea verò, quum Hallus contrarium fassus fuerat, in mendacio aperto deprehensus Garnetus, erubuit & misericordiam imploravit, agnovitque se deliquisse; *Nisi ipsum Æquivocatio tueretur.* Nam cum aliquis, inquit, de crimine à magistratu interrogatur; is magistratui respondere, antequàm testes producti fuerint, non tenetur: quia nemo tenetur se- ipsum prodere. Hinc intelligit Lector, mentitum fuisse Garnetum, Æquivocationum Jesuiticarum defensione. Nam & interrogatus à Delegatis regiis, penes quos fuit interrogandi autoritas & potestas; & à judice ipso monitus fuit, ut sine æquivocatione & dolo aliquo responderet: & cognitio rei, de quâ examinatus fuit, ad interrogantes maximè pertinuit: & tamen æquivocavit, i. e. mentitus est.

Eâdem fraude illulit GARNETUS Illustrissimo Comiti Salisburienfi, petenti, ut sine æquivocatione proferret, quid de excommunicatione Regis sentiret; dicens: *Regem Jacobum nondum excommunicatum esse.* Nam, Jacobum Stuartum, non Regem, excommunicatum, animo sentiebat. Atque ita communiter Jesuitæ, cum ipsi, vel eorum discipuli, Reges & Principes occidunt; negant, se Reges aut Principes occidisse. Quia non ut Reges & Principes; sed ut Hæreticos, Hæreticorumque fautores, & excommunicatos, atque Tyrannos, eos occidunt. *Non enim in eodem subjecto esse posse,* ajunt, *regnum, hæresin, & tyrannidem.*

Hac arte RICHEOMUS Jesuita, in suâ Expostulatione apologeticâ pro Jesuitarum Societate, Henrico IV. Regi Galliæ illulit; dum æquivocando impudenter affirmavit: *Se nunquam audivisse, postremò-defunctum Henricum Regem, à quoquam suorum hominum Tyrannum esse nominatum.* Non enim postremò-defunctum Henricum Regem; sed benè postremò-occisum Henricum Valefiû, Henricum Tyrannum, & quidem sæpissimè, audivit nominari: cum hoc, & pro concione ubique inter Ligistas, & quàm-plurimis libellis editis, factitatum sit.

Simili æquivocâdi arte utitur tortuosus Bellarminus; dum negat, Sixtum V. Papam imperâsse, eundem Henricum Regem interficere: ut est videre in Responsione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis. Non enim Papæ imperant occidere Reges; sed Tyrannos tantum, i. e. eos, qui dicto suo minùs sunt audientes.

ARTICULUS II.

Licitum etiam esse, non solum ad privatorum, sed & magistratum catholicorum, interrogationes, æquivocare, & interrogantes decipere; idque non minus cum juramento, quam absque illo: quando nempe interrogatus interrogantem, non pro suo competente magistratu, sive iudice, habet: aut si interrogatus opinetur, etiam competentem iudicem non habere legitimam interrogandi; aut Adversarium non habere justam litigandi causam.

Jesuitæ suæ quoque Religionis fœcios vafre decipere, naloque ducere solent.

Jesuita JACOBUS SYLVANUS, in Philippicâ contra anonymum Prædicantem, ait: *Aequivocatione uti licet, quando, qui interrogat, non est superior, aut judex. An ne ego obligatus sum, cuique ex rure vel plastro roganti respondere ad mentem? Quis me omnium debitorem fecit?*

MARTINUS NAVARRUS, ubi supra, *Per hanc doctrinam, inquit, æquivocationis, innumera mendacia & peccata evitari possunt; si semper respondeatur cum aliqua subintellectione. Ut, si interrogemur; Quò vadimus? Quantam pecuniam habemus? Mutuavimus? Donavimus? Quid scripsimus? Quid nobis ille vel ille dixit? & sexcenta alia. Omnibus illis absque peccato respondere nos posse, subintelligendo aliqua. Ut, si quis petenti pecuniam, librum, &c. respondeat: Non habeo; licet habeat: subintelligendo tamen, ita non habeo, ut teneam præstare; vel, ut teneam tibi dicere, dare, manifestare; vel, ut dicam tibi.*

Idem Navarrus scribit: *Quod reus, interrogatus de crimine, à iudice non procedente juridicè, non teneatur fateri veritatem; sed possit uti æquivocatione, subintelligendo aliquid aliud, quam verba sonant. Imò & qui respondet iudici, sive superiori, sine vel sub juramento, potest uti amphibologiâ: sive illa contingat ex diversâ verbi significatione; sive ex diversâ intentione interrogantis & respondentis; & licet falsum sit, secundum mentem interrogantis. Item: Etiam magistratui, vel iudici, injustè interroganti vel adjuranti, non tenetur quis secundum suam intentionem respondere. Sic & testem instruit Navarrus: ut dicat, se nihil scire; subintelligendo intra se, Nihil, quod dicere teneatur. Ibidem etiam instruit litigantes, qui jubentur jurare de calumniâ, veritate, &c: *Ut, si non ordinatè, vel justè, à iudice jubeantur, possint negare vel affirmare, secundum propriam mentem: non curando de illâ, quam iudex habet. Item: N.N. clam, sive testibus absentibus, cuidam femina dixit; Accipio te in uxorem meam: sed sine animo eam ducendi. Postea iudici eum adjuranti, & interroganti, an ea verba dixisset? respondit, se illa non dixisse; subintelligendo in mente suâ, quod illa non dixerit animo illam ducendi. Et addit Azpilcueta: Hoc non esse mendacium; sed æquivocationem prudentem & honestam.**

Similia docet GREGORIUS de VALENTIA, Tomo 3. Disp. 5. quæst. 13. de Reo. *Quandocunq;* (ait) *iniqua interrogatio fit: etiamsi juramentum acceperit; nullum tamen committeretur perjurium, quàmvis juramento affirmet alium aliquem sensum verum, alienum ab interrogazione. Talis non mentitur, nec vanè usurpat nomen Dei: siquidem, ad se vel sua tuendum, id facit.*

ANDREAS quoque EUDÆMONO-JOHANNES, in Anticotoni confutatione, inquit: *Cum quis nullis justis indicis in jus vocatur: quia nemo tenetur se- ipsum magistratui prodere; idq; lex ipsa natura satis docet: apertè & liberè, sinè omni tergiversatione, negare potest id, cujus gratiâ accersitur, quia semper clausula illa intelligitur; ità, ut teneat dicere.*

FRANCISCUS TOLETUS, Jesuita & Cardinalis, de Instru. Sacerd. lib. 4. cap. 21. scribit: *Si quis à Superiore interrogetur juratus: tum, si justè interrogetur, tenetur respondere absque equivocatione. Si verò injustè: tum potest uti equivocatione, & respondere, non secundùm judicis mentem; sed secundùm propriam. Et si crimen omninò occultum est, de quo quis interrogatur: tum equivocatione uti poterit, respondendo, Nescio; intelligendo tamen intra se, Ut dicam tibi: vel respondendo, Non feci; intelligendo intra se, Nunc non feci; vel quid simile. Et sic interrogatum, An ex tali civitate veniat? (de quâ nempe communis fama est, quòd peste infecta sit) ut-ut sub juramento interrogatus sit, posse tamen respondere, Quòd non; licèt inde veniat: quia nempe tacitū intellectum in suâ mente habet, quòd civitas illa non sit infecta; quòd ipse non sit infectus, licèt civitas infecta sit. Quia nempe non facit contra precipuam intentionem custodum. Itèm: Quærenti judici, Fecistine illud? respondeat, Non; intelligèdo intra se, Ut dicam tibi; vel hoc tempore; vel quid simile. Et si vir uxorem petat, an sit adultera? illa potest dicere, Non sum; quàmvis verum fuerit: intelligendo, Ut tibi revelem. Sic, qui cogitur jurare, alteram in sponsam accepturum: intelligendo, si postea placuerit: & à latronibus comprehensus juraverit, se postea daturum centum aureos, ut liberetur; & equivocè jurans, intra se dicens, Si postea liberetur: tunc non tenetur solvere. Sic à custode injuriosè detentus, ut dimittatur, jurans se redditurum postea; potest uti equivocatione, & non tenetur reddere. Interrogatus alius, & jurejurando obstrictus, ut verum dicat, talè mne viderit hodiè? hac equivocationis arte illud planè denegat; prudens licèt sciensq; illum viderit. Ille verò hunc sensum sibi reservavit: Non vidi illum, scilicet ut magistratui hoc dicerem: vel, non visione beatificâ; vel non Venetiis, &c: illum vidi.*

Jesuitæ
ventū au-
cupari nō
runt.

Atque ità, mediante æquivocatione & mentiendi arte, Jesuitæ ubique locorum commodissimè latere, cuncta perreptare, ac (uti verba COSTERI Jesuitæ, in Sicâ tragicâ, cap. ult. de se suisq; focis, habent) ità nôrunt vela obliquare in ventos, & undecunq; se prosper aliquis flatus ostenderit, captare vel Euros, vel Zephyros. Et RIBADENEIRA, de Principe, lib. 1. cap. 26. *Christiana, inquit, prudentia docet, dissimulatione utendum, quâdo magna pericula timentur. Unde ALEXANDER HAYUS Jesuita publicè sæpeq; docuit; Ad tempus externè aliud simulandum, quàm intus in corde sentias: & sic ad tempus simulandum, ac- si Regi obedire velis. Ideoque Jesuitam, breviter quidem, at graphicè, descripsit, dicere solitus; quòd Jesuita est omnis homo: significans, ut Proteus Poëtarum in omnes figuras se*

trans-

transformare potuit; sic Jesuitam, nunc sacerdotem, nunc militem agere; nunc bonum virum simulare, mox insignem nebulonem præstare posse.

Ex prædictâ Jesuitarum mentiendi disciplinâ, etiam notoria illa & impudentissima mendacia proficiscuntur; quibus Euangelicorum cum personas, tum doctrinam infamare, totique Mundo exosam reddere conantur.

Jesuitica
mendacia
contra
Euangelicos.

Anno Domini 1605. editæ sunt Theses à Jesuitis MONASTERIENSIBUS, hoc titulo, *Credo Calvinisequarum*, plenæ prodigiosarum calumniarum ac mendaciorum de Calvinianis.

1. Thesi octavâ, hoc corollarium planè blasphemum & abominandum afferunt: *Articulus primum Calviniani symboli hunc esse; Credo in Diabolum, Carnificem Orcipotentem, Corruptorem cæli & terræ.*

2. Ibidem asserunt, *Calvinianos simpliciter & generatim docere; Non patientiâ & permissione, sed potentiâ & operatione Dei, peccata fieri.*

3. Thesi 9. dicunt, *Calvinianos prohibere caput aperire, aut genua flectere, ad mentionem nominis JESU; adeoq; honorem etiam politicum ei derogare.*

4. Thesi 14. dicunt, *Calvinigenas in Angliâ, &c. negare, Christum verum esse Deum; sed tantum nudum hominem, & Philosophum, datum humano generi, ut sit rectum vivendi exemplum.*

5. Thesi 15. asserunt, *Calvinianos docere, Christum natum ex Mariâ non-virgine.*

6. Thesi 17. ajunt, *Turcas de tertio articulo Fidei Christianæ multò sanius sentire, quàm Calvinistas.*

Consimiles calumniosos, falsos, & malè-detortos doctrinæ Aphorismos, etiam Moguntinus BECANUS, anno 1608. in publicum sparfit; quorum primi quinque ita sonant.

1. *Deus ab æterno prædestinavit plerosq; Homines, ad æternam mortem & damnationem, sinè ullâ ipsorum culpâ; solum quia ipsi ita placuit.*

2. *Deus occultâ quâdam vi movet, impellit, & necessitat homines, ad omnia flagitiorum genera perpetranda.*

3. *Deus mandat, urget, & incitat Satanâ; ut miseros homines ad peccandum inducat.*

4. *Deus simpliciter dicendus est author omnium peccatorum, quæ ab hominibus committuntur.*

5. *Deus non solum prædestinat homines ad æternam damnationem, & ad peccandum impellit: sed etiam miris modis illudit miseris, simulans se velle illos juvare; cum tamen nihil minùs velit.*

Jesuitæ COLONIENSES, in Censurâ suâ, audaçter & impudenter affirmant; *Euangelicos doctores suâ doctrinâ frena ad omnem impietatem laxare, & facultatem flagitiosis hominibus facere, quavis etiam scelera (quod plures in suam sententiam pertrahant) committendi.*

Anno 1597. rumorem sparferant Jesuitæ, qui ferè per totam Europam pervasit, de D. Theodori Beza, Pastoris Genevensis Ecclesiæ, morte: & constanter affirmârunt, quodd is paulò ante mortem, omnem doctrinam suam recantârît; & confessus sit, se Romanæ Ecclesiæ doctrinâ pro verâ agnoscere, atq; in eâ mori velle. Auctor hujus

ius commenti ferebatur CLEMENS PUTEANUS, Jesuita Parisiensis. Mendacium autem illud impudentissimum, non solum Pastores Genevenses refutarunt, edito scripto, cui *Beza Redivivus* nomen fecerunt: sed Beza quoque ipse, tunc adhuc superstes, Epistolâ ad Guilielmum Stuckium, Theologum Tigurinum, vanitatem illam redarguit.

THOMAS BOZIUS Eugubinus, lib. 12. de Signis Eccles. cap. 12. per calumniam, *Euangelicis doctoribus bonarum artium ignorantiam objicere* audet: scilicet, quia soli Jesuitæ omnem eruditionem devorârunt; ideoque simplicem juventutem, ad omnem nequitiam, tam artificiosè instituere nōrunt.

Jesuitæ par-
ricidia sua
Euāgelicis
transcri-
bunt.

Quin aded malitiosè impudentes sunt Jesuitæ; ut etiam sua suorumque facinora ac parricidia Euangelicis transcribere non vereantur.

Sic enim CRESWELLUS, in suo Philopatre, contra Edictum Elisabethæ Reginae; *Regina, inquit, Angliæ conscia fuit illius conjurationis, quæ anno 1572. in nuptiis Regis Navarræ, contra Carolum IX. Galliæ Regem, executioni mandari debebat. de quâ scribit Genebrardus his verbis: Regis Navarræ nuptias excepit dies Bartholomæanus, ob quamdam in Catholicos Principes conjurationem.*

Et FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, de eodem, in Sicâ magicâ, cap. 7. sic scribit: *Anno 1572. Catholici multos in Galliâ Calvinistas, jussu Regis, (quos ille cognoverat, de suâ caterorumque Catholicorum cade cogitasse) idque certo die, quam præfinierat, necârunt. Et cap. 11. Conscivit Rex, inquit, anno 1572. conscelerato consilio conclusum fuisse ab Huguenotis; ut conducto die, tempore quarundam nuptiarum, se, cum totâ progenie, & omnibus Catholicis, interneccione consat ali delerent. Huic Calvinianorum horrendo scelere, & Regis Christianissimi, Patriæque parricidio, obviam itum est: & qui ferrum alteri acuerant, suis illud jugulis excepere.*

Causa tamen lanienæ hujus, omnibus tam nota est; ut omnes Pontificios talia de fidelibus Gallis, præter solos Jesuitas, scribere, hætenus puduerit. Jacobus certè Augustus Thuanus, in suâ Historiâ, Tomo 2. part. 2. aliam, & quidem veram, hujus inauditæ lanienæ causam commemorat: videlicet, *Ut, sub specie arctioris amicitia, & quidem nuptiarum, Huguenoti Lutetiam, tanquam aves in casses, pellicerentur, & simul omnes opprimerentur.*

Sic fulminalis quoque pulveris molitiones, contra Regem Angliæ & Regiam stirpem, Regni que totius Proceres, Jesuitæ COLONTENSES, à Calvinianis, nec ab ullo Catholico, excogitatas esse, impudentissimè sunt mentiti.

Et Cretensis ille ANDREAS EUDÆMONO-JOHANNES, in Apologiâ suâ pro Heinricho Garneto, scribere non veretur; *Conjurationi illi pulveraria nequemquam Jesuitarum immixtum, vel ejus conscium & participem: quin & Garnetum, nullius sceleris convictum, odio duntaxat religionis, aut Jesuitici nominis, damnatum fuisse. Cùm ex actis judiciariis Processus illius planè contrarium constet, & minimum quatuor Jesuitas facinori isti intervenisse: dictum videlicet Heinrichum Garnetum, in Angliæ regno ab annis novendecim Provincialem; Hallum, qui & Oldcornus est; Osvaldum Tesmondum, sive Grenvelliū; & Johannem Gerardum: præter alios plures, tam intra, quàm extra Angliam faci-*

facinoris conscios; quorum, pro suâ quisque virili, singuli, quæ res aut tempus postulare viderentur, exsequentes, negotium illud per Patres Jesuitas curârunt.

Sæpè-dicta æquivocandi & mentiédi doctrina, Jesuitis tantum etiam animi addit, ut multa à se & aliis Pontificiis facta, dicta, & scripta, impudenter negare ausing, quoties illa sibi obfutura animadvertunt.

Jesuitæ
propria sua
dogmata,
dicta scri-
ptaque ne-
gant.

Hinc RICHOMUS Jesuita, in Expostulatione apologeticâ pro Societate Jesu, ANNO 1603. editâ; Nunquam, ait, ego audivi, postremò-defunctum Heinricum, à quoquam nostrorum hominum, Tyrannum esse nominatum: & tamen cum illis familiaris aliquantò sum, quàm iste (Adversarius,) versatus.

Negat hoc quoque JACOBUS SYLVANUS, in suâ Philippicâ, contra Admonitionem ad omnes Reges ac Principes, de nefariis, & exitalibus Papæ & Jesuitarum conatibus & practicis.

Negat idem SYLVANUS ibidem, Jesuitas docere, eodem modo reliquos etiam Principes & Reges, si à Theologis, viris eruditis & gravibus, pro Tyrannis habeantur, interfici posse: ideoq; rectè fecisse Jacobum Clementem Monachum, quòd Heinricum III. Regem Gallia interfecerit; rectè etiam facturum, qui illius successorem Heinricum IV. oppresserit.

Negat idem, Jesuitas docere, Tyrannos (excommunicatos putà, & Evangelicos) veneno, à subditis vel ministris suis, necari posse.

At verò JOHANNES MARIANA, lib. 1. de Rege & Regis institut. c. 6. hanc quæstionem tractans, An Tyrannum opprimere fas sit? affirmantem sententiam probat; & inter alia meminit Heinrici III. Regis, ut Tyranni, & meritò propterea occisi. Quod utique in conveniens fuisset, si eum non pro Tyranno habuisset. Ibidem etiam causas indicat, cur illum pro Tyranno habuerint: videlicet, propter impios illius ausus. Additque ibidem Mariana, Jacobum Clementem præmeditatè, & de consilio Theologorum, hoc facinus perpetrâsse: qui eum docuerint, in eoq; confirmâtint, talem Regem, veluti Tyrannum, justè occidi posse. Cognito, inquit, à Theologis, quos erat sciscitatus, Tyrannum jure interfici posse.

Sed & PETRUS RIBADENEIRA, de Principe, libro 1. cap. 15. qu. 91. scribit: Quòd Heinricus III. ex pernicioso humana prudentia consilio, & nefariâ Politicorum caliditate, Heinricum Guisæ Ducem, & Ludovicum Cardinalem, ejus fratrem, fortissimos Principes, in Blasensibus Comitibus, crudeliter sustulerit: sed nec-dum decurso anno, aequissimus sceleris vindex, Deus, à cædis authore, meritissimas pœnas exegerit. Quæ certè luculenta est & viva Tyranni descriptio.

In libris etiam, Parisiis in Jesuitarum Collegio repertis, & à JOHANNES GUIGNARDO Jesuitâ scriptis, inter alia quoque docetur; Permissum esse, Reges ac Principes occidere. Disertis etiam verbis, Heinricus III. TYRANNUS nominatur.

In libro quoque toto de justâ Heinrici III. abdicatione, Rex ille dicitur fuisse crudelissimus Tyrannus. In primis lib. 2. per aliquot capita, nominatur perjurus, parricida, assassinus, homicida, & quidem Ecclesiasticarum personarum; Hæreticus, & Hære-

ticorum amicus & fautor; Schismaticus, Simoniacus, sacrilegus, nigromanticus, &c. Proindeq; permiffum fuisse fubditis ejus, atq; aliis, ipfum occidere. Eant nunc Jefuitæ, & ifthæc à fe dicta fcriptæve negent.

Sic MARTINUS BECANUS, Jefuita Moguntienfis, contra Christianum Batavum, negat apertè; Romano-Catholicos docere, & in tribus Conciliis, Lateranenfi fub Julio II. & Leone X. celebrato, Tridentino itè, & Conftantiensif, decretum effe; Hæreticis fidem non effe fervandam.

Contrà JACOBUS SIMANCHA, Epifcopus Pacenfis, in Inftitutione fuâ Cathol. tit. 4.6. art. 52. hæc fcribit: *Ad Hæreticorum pœnam & odium pertinet, Quòd FIDES ILLIS DATA SERVANDA NON SIT,* (ut in Concilio Conftantiensif factum,) non obftante juramento. Et mox rationem addit: *Si enim tyrannis, piratis, & cæteris prædonibus, fides fervanda non fit, qui corpus occidunt: longè minùs Hæreticis pertinacibus, qui occidunt animas.* Rurfus: *Cum Hæreticis, ait, nullum commercium, nulla pax, Catholicis effe debet. Quamobrem fides illis data, etiam juramento firmata, contra publicum bonum, contra falutem animarum, contra jura divina & humana, nullo modo fervanda eft.* Citat etiam præter alios Thomam, fecundâ Secundæ, quæft. 70. art. 1. ubi vult, *Hæreticum indocilem prodendum effe judicibus, non obftante fide & juramento.*

Simanchæ affentit etiam CRESWEL Jefuita, contra Ediâum Reginæ Angliæ, parte 2. num. 157. *Quemcunq;* inquit, *Principem Christianum, fi à Religione Catholicâ manifefto deflexerit, & alios avocare voluerit, excidere ftatim omni potestate ac dignitate, ex ipsâ vi juris, tum humani, tum divini; hocq; ante dictam fententiam fupremi Paftoris ac Judicis, contra ipfum prolata: & Subditos quoscunq; liberos effe ab omni juramenti obligatione, quod de obedientiâ, tanquàm Principi legitimo, præftitifent; poffeq; & debere, fi vires habeant, iftiusmodi hominem, tanquàm apoftatam, ac Chrifti Domini defertorem, & Republicæ fuæ inimicum & hoftem, ex hominum Chriftianorum dominatu ejicere: ne alios inficiat, vel fuo exemplo & imperio à fide avertat.* Atq; hanc certam, definitam, & indubitatam, virorum doctiffimorum (Jefuitarum) effe fententiam. Et tamen adhuc negare audent, fe & alios Pontificios docere, Fidem Hæreticis fervandam non effe.

Hoc etiam generale Papiftarum dogma effe, M. TORTUS, five BELLARMINUS, in Refponfione ad Apologiam pro Juramento fidelitatis, his verbis teftatur: *Jam fuprà docuimus fupremum univerfæ Ecclefiæ rectorem id juris habere; ut, fi Princeps ab Ecclefiæ unitate, per hærefin, vel fchisma, deficiat, poffit eum excommunicare, vel excommunicatum declarare, ET SUBDITOS EJUS À FIDE ET OBEDIENTIA LIBERARE.* Neq; hanc effe novam doctrinam; fed in Concilio LATERANENSI, omnium maximo & celeberrimo, approbatam; atq; ufu Chriftiani populi per multa fecula receptam. *Qui enim non timent occidere; numquid timebunt jurejurando religionem violare? Et adhuc audent negare, fe hoc docere.*

Nec minùs MOLANUS, lib. 3. cap. 27. Objeâ. 1. & 6. exprefse docet: *Regulam Pontificiis generalem effe, Fidem Hæreticis vel non dandam, vel non effe fervandam, fi illis data fit, fup libero Religiois fuæ exercitio.* Et in fpecie de Fœderatis Belgis, quos Hispa-

Hispaniæ Regi vim intulisse tradit, *Merentur*, inquit, *ut eis promissum non seruetur*. Et lib. 4. cap. 7. addit: *Nam quotquot contra Catholicam majestatem Philippi arma in Belgio sumunt, qui potius rebelles, quam hostes dicendi sunt; usitate Prædones dicuntur: atq; si illis aliquid promissum sit, claram & indubitatam esse resolutionem, iis nihil deberi.*

Infame illud Amphitheatrum Honoris, anno 1605. excusum, CLARI BONARSII nomine, (cujus proprium nomen Carolus Scribanus erat, Antuerpiani Collegii Rector) COTTON Jesuita dixit, *nequaquam à sua Societatis hominibus emanasse; sed Geneva, ad constandam Jesuitis odium, fictum ab Hereticis fuisse.* Qui tamen postea longè aliter, quid sentiret, expressit; laudato Scribanii opere, & distributis multis exemplaribus.

Pari impudentiâ nunc demùm Jesuitæ veteres, & antehac indubias historias negant, quas sibi & instituto suo adversari cernunt.

Jesuitæ veteres etiam & indubias historias negant.

Sic BELLARMINUS, lib. 4. de Pontifice Romano, c. 10. Calvinum impudenter mentiri ait, quod scribat, *Siricium, in Epistolâ ad Hispanos, conjugium Sacerdotum vocasse immunditiam & pollutionem.* Atqui publicè, omnium oculis objecta, legi potest Epistola illa: quâ prohibet Papa ille Presbyteris matrimonium; & ad hoc sacræ Scripturæ dictis abutitur. ut quando præcipit Deus, Num. 11. *Sancti estote; quia & ego sanctus sum.* & quando Paulus scribit, Rom. 8. *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.*

Eodem loco negat BELLARMINUS, *Liberiû Papam fuisse Arianû, & Arii doctrinam subscripsisse:* quod affirmat *Athanasius*, in Epistolâ ad solitariam vitam agêtes.

Negat etiam, *Felicem Arianum fuisse:* quod affirmat *Hieronymus* in Catal. in Acacio; ubi ait: *Acacii operâ Felicem Arianum Romæ Episcopum constitutum esse.*

Negat, *Cælestinum Papam Nestorianum fuisse:* quod affirmat *Laurentius Valla*, lib. de Donat. Constantini.

Negat, *Vigilium fuisse Monophysitam; & Epistolam Liberati*, in quâ hoc disertè affirmatur, *ab Hereticis vel corruptam, vel totam confictam & scriptam fuisse:* sed non probat.

Negat cap. 11. *Honorium Papam hereticum fuisse.* At sunt duæ Epistolæ Honorii, in Synodo 6. Act. 12. & 13. in quibus doctrinam Sergii, principis Monothelitarum, approbavit. In eadem Synodo, Act. 13. Honorius nominatim damnatur; & ejus Epistolæ comburendæ judicantur. Et hæc damnatio reperitur in omnibus Actionibus sequentibus, plus quàm vigesies. In Synodo 7. etiam damnatur Honorius, tanquam Monothelita. In Synodo 8. generali, Act. 7. asseritur, Honorium fuisse à Synodo 6. post mortem, damnatum. *Agatho* Papa, in Epistolâ ad Constantinum Imperatorem, quæ habetur Act. 4. Synodi 6. anathema dicit Honorio, tanquam Monothelitæ. Idem etiam facit *Leo II.* in Epistolâ ad eundem Imperatorem, quæ habetur in Synodo 6. in fine. Sed & alii Jesuitæ ac Papistæ id consentent; *Melchior Canus*, lib. 6. Comment. c. ult. *Sanderus*, lib. 7. de Visib. Monarch. *Alphonsus de Castro*, lib. 4. de Hæret. pun. *Torrens*, de 6. 7. & 8. Synod. *Hardingus* contra Juellum; *Genebrardus*, in Chron. in Honorio I.

Solus Bellarminus cum paucis negat. Ut impudentissimum mendacium COSTERI Jesuitæ esse oporteat; qui in suo Enchiridio apertè asserit, in tanto Pontificum numero, qui Beato Petro successerunt, ne unum quidem inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit.

Historia de Johannâ Papisâ Rom. ejusque puerperio; de cujus tamen veritate, per 800. jam annos, in ipsomet Pontificio Regno, nunquam dubitatum aut disputatum est; nunc demum in dubium vocatur à Pontificum adulatoribus, in primis BELLARMINO & BARONIO: qui hanc historiam fabulam esse contendunt; eoque plerosque, integros gravesque Scriptores, in quorum consentientium monumentis expressa & contestata illa legitur, vanitatis & mendacii, non minùs arroganter, quàm in verecundè, arguunt. idque non adferendæ veritatis causâ; (quam, ubicunque eis adversatur, adulterant & suppressunt) sed ut probrosam hanc puerperii Papalis labem diluant, hoc cum primis tempore plurimum jactatam, in despectum & ignominiam Hierarchiæ Romanæ, cujus fundamentum in perpetuâ indè usque à Petro successione situm prædicant: quam catenam, ab hac muliere interruptam, dolenter ferunt; ideoque historiam omnibus modis sepultam esse cupiunt.

Ranulphus certè, Flaviacensis Mönachus Benedictinus, hanc historiam Pontificalis puerperii primus commemoravit; & ab aliis, propter deformitatem facti, omisissam, apertè fassus est. Vixit (juxta Trithemium) anno 930. ut Papale hoc puerperium ab iis accipere potuerit, qui illud viderunt.

Hunc sequutus est *Marianus Scotus*, qui, Anno Domini, inquit, 854. anno Lotharii 14. successit Leoni Johanna mulier. Floruit Marianus anno 1050. ut hanc historiam, vel ex Seniorum relatione, vel ex superiorum Scriptorum relictis monumentis, cognitam habuerit.

Tertius est testis veritatis hujus historiæ, *Sigebertus Gallus*, Gemblacensis abbas. *Fama est*, inquit, *Johannem sceminam fuisse, & uni soli familiari cognitam, qui tunc eam complexus est. Gravida facta peperit, Papa existens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam.*

Superfunt alia quoque, de eodem facto ac scelere, testimonia. Ut *Martini Piloni*. Is inquit: *Johannes IX. scemina fuit; & in Papatu à familiari suo imprægnatur. Verum tempus partus ignorans, quum de S. Petro in Lateranum tenderet, angustiata partu, inter Colossæum & S. Clementis Ecclesiam peperit: & postea mortua ibidè, ut dicitur, sepulta fuit. Et propterea, quòd Dominus Papa semper eandè viam obliquat, creditur omnindè à quibusdam, quòd ob detestationem facti hoc fiat. Nec idè in catalogo sanctorum Pontificum ponitur: tam propter muliebrem sexum, quàm propter deformitatem facti.*

Ut *Francisci Petrarchæ*, qui eadem, quæ Martinus, commemorat in suo Chronico, Italicè conscripto, & Florentiæ excuso, anno 1478. *Johannes*, inquit, *Anglicus non ponitur in catalogo Papparum; quia scemina fuit.*

Ut *Johannis Boccatii*, qui, libro de Claris mulieribus, cap. 99. graphicè probrosum illud Pontificis puerperium describit: ità ut etiam effigiem parientis, & obstetricantes Cardinales & Episcopos, exhibeat.

His testibus accedunt complures alii fide-dignissimi: *Richardus Monachus, Laonicus Chalcocondylas, Martinus Minorita, Antoninus Archiepiscopus, Albertus Stadenfis, Otto Frisingensis, Annales Augustani antiqui, Wilhelmus Occamus c. 124. operis 90. dierū. Raphaël Volaterranus, in Comm. suis Julio II. dicatis. Platina, Sabellicus Ennead. 9. lib. 1. Robertus Dominicanus, Matthæus Palmerius, Baptista Camposulgofus, Jacobus Philippus Bergomensis, Trithemius in Chronicis, Johannes Stella, Nauclerus, Lucidus, Albertus Krantzius, Fasciculus temporum, Cælius Rhodiginus, Baptista Mantuanus, Chronicon Noribergense, Johannes Carion, Martinus Eisengrein, Johannes Pistorius, ac plures alii. Quorum certè tot, Pontificiorum præsertim virorum, eoq̃ue minimè suspectorum, testimonio & affirmationi plus credendum est; quàm Jesuitarum negationi: qui id solùm dicunt, quod Pontificis sui majestatem & auctoritatem stabiliat; contrarium simpliciter vel negant, vel saltè eludunt.*

Denique, etiam ex Jesuiticâ mentiendi officinâ, venit spiritus ille contradictionis; quo, pro re natâ, Jesuita quispiam & sibi-ipsi, & aliis Jesuitis ac Pasticis doctoribus, securè contradicit, sicq̃ue calidum & frigidum ex eodem ore efflat: dummodò Hæretici quaquâ ratione confutati videantur. Id quod ex sequentibus exemplis luce meridiana clarius evadit.

FRANCISCUS COSTERUS Jesuita, in Enchiridio, pag. 44. sacram Scripturam membranæam & chartaceam, ac literam mortuam, vocat. At paulò post, pag. 47. sic eam extollit; ut nullum jota, apicem nullum in illâ agnoscat, cui non insit suum pondus & efficacia: unde tanquàm divina eloquia, mentem hominis admirabili dulcedine & suavitate afficiant.

IDEM, in eodem Enchiridio, pag. 45. docet; Non omnia, quæ ad fidem pertinent, explicitè sacris Literis expressa esse: quæ non ob id data sint, ut formulam exactam fidei præscribant. At mox, pag. 49. sibi contradicit: Præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Christianis cognitu necessaria sint, perspicuè satis Apostolicis literis comprehensa esse. Et STAPLETONUS, Præfat. in Euang. Scriptura, inquit, sufficit ad vitam; quæ unica vita æterna regula est: cætera, quibus non allucet Verbum Dei, tam non sunt necessaria, quàm superflua.

JACOBUS GRETSEUS, contra Simonem Stenium, Non injuriâ, inquit, prohibetur & arcetur populus à lectione Scripturæ. Quid enim rudi vulgo cum Scripturâ? Et HOSIUS, de Verbo Dei, Laicis, inquit, lectionem Scripturarum permittere, est sanctum dare canibus, & margaritas ante porcos projicere. At ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in Tit. cap. 2. & 2 Tim. cap. 5. Aliqui, inquit, existimant, Scripturas difficiliores esse, quàm ut debeant Laicorum manibus conteri: sed aliter visum est Patribus veteris & novi Testamenti.

BELLARMINUS, lib. 1. de Verbo Dei, cap. 10. Omnes, inquit, Protestantes, sex illos libros, quos Apocryphos vocant, ut Tobia, Judith, Sapientia, Ecclesiastici, & Machabæorum, negant pro Scripturis canonicis habendos esse. Idem tamen eodem loco, & PERERIIUS, lib. 16. Comm. in Daniele, Catholicis, inquit, multi, libros hos apocryphos esse, censuerunt.

BELLARMINUS, lib. 2. de Verbo Dei, cap. 10. multis contendit *Vulgatam Latinam versionem, in omnibus lectionibus & disputationibus, pro authenticâ habendam esse; itâ ut nemini liceat ab eâ, quâvis sanctissima causa pretextu, provocare.* MALDONATUS autem Jesuita, Comm. in Matth. Existimo, inquit *Latinam nostram vulgatam esse, in hoc loco, ex Græcis corrigendam.* Cajetanus, Est, inquit, *vulgata multis vitiis conspurcata.* Et FRANCISCUS LUCÆ, in Annot. ad Biblia, *Ridiculum est, ait, hoc quorundam responsum, vulgatam Latinam authenticam esse; nec esse ex Hebræis & Græcis corrigendam.*

De Ecclesia.

BELLARMINUS, lib. 4. cap. 8. de Notis Ecclesiæ, inquit: *Succeffione in Rom. Ecclesiâ, ab Apostolis deductâ usque ad nos, Veteres, tanquam argumento evidentissimo, usi sunt ad veram Ecclesiam.* STAPLETONUS contra, lib. 13. de Doct. princ. c. 6. *Personalem, inquit, successione nihil moramur; modò doctrinam nostram consentientem Scripturis ostendere possimus.* Et Bellarminus ipse lib. 2. de Eccles. milit. cap. 8. *Succeffio vera non est, quam hæresis interrumpit.*

COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, Annot. in Ephes. 5. *Si, inquit, Protestantes nullum in se Theologia sensum haberent; nunquam dicerent, Ecclesiam posse à fide deficere, i. e. à Christo sponso divortium pati.* BELLARMINUS verò, lib. 3. de Milit. Eccles. cap. 3. *Notandum est, inquit, multos ex nostris tempus terere; dum probant absolutè, Ecclesiam non posse à fide deficere. nam Protestantes id concedunt: sed dicunt, id intelligi de Ecclesiâ invisibili.*

COSTERUS Jesuita, Apolog. part. 3. cap. 12. *Ut phlegma, inquit, pituita, sanies, saliva, sanguis abundans, viventis hominis neq; membra sunt, neque partes; & tamen non sunt extra corpus: itâ impii ad superfluos humores referuntur; qui suo tempore, ubi maturi fuerint, cum stercoribus egeruntur.* Contra verò BELLARMINUS, lib. 3. de Militante Ecclesiâ, cap. 9. *Si itâ est, inquit, sequitur, Pontificem malum non esse caput Ecclesiæ: & alios Episcopos, si mali sint, non esse capita suarum Ecclesiarum. Caput enim non est humor, aut pilus; sed membrum, & quidem præcipuum.*

De Romano Pontifice.

BELLARMINUS, toto libro 1. de Rom. Pontifice, pro supremâ potestate Papæ in omnes Episcopos pugnat, ex eo; quòd Petrus primatum ac potestatem in reliquos Apostolos habuerit. Idem tamen, cap. 9. ejusdem libri, sibi apertissimè contradicit; *Summam potestatem omnibus Apostolis, libertatemq; datam esse.*

BELLARMINUS, lib. 2. de Pontifice Rom. cap. 26. *Pontifex, inquit, Romanus non potest ab ullo Principe Christiano, sive seculari, sive ecclesiastico, judicari in terris: neq; ab omnibus simul in Concilio congregatis.* Contra JOHANNES FERUS, in Act. cap. 11. *Petrus, inquit, respondebat, & omnia narrabat. Potest igitur Ecclesia à Ministris non modò exigere rationem; sed etiam deponere & repudiare potest. Impii autem nostri Pontifices, quasi Domini sint, non Ministri; ab Ecclesiâ quidem argui, & in ordinem cogi nolunt.*

BELLARMINUS, lib. 4. de Pontifice Rom. cap. 6. scribit: *Probabile est, pièq; credi potest, summum Pontificem, non solum ut Pontificem, errare non posse; sed etiam, ut particularem personam, hæreticum esse non posse, falsum aliquid contra fidem pertinaciter credendo.* Et COSTERUS, in Enchiridio, asserit; *Ne unum quidem, in tanto*

Ponti-

Pontificum numero, inventum esse, qui hæresin docuerit, aut in errorem lapsus sit. Idem tamen BELLARMINUS, eodem lib. 4. cap. 2. in explicando statu quæstionis hujus, Duo esse, dicit, in quibus non Heretici modò, sed & Catholici omnes, conveniant. Primum: Possè Pontificem, etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio, errare, in controversiis fidei particularibus; quæ ex informatione testimoniisq; hominum præcipuè pendent. Secundum: Papam possè, ut privatum doctorem, errare, etiam in quæstionibus juris universalibus, tam fidei, quam morum. Ibidemq; fatetur; Papam, ut Papam, hereticum esse possè, Doctores Parisienses tenuerunt. Et CATHARINUS, Comm. in Galat. 2. Legimus, multos Pontifices apostatasse à fide: Honorum in Conciliis duobus, vel tribus, Papam damnatum; Cælestinum quoq; & alios.

BELLARMINUS, lib. 5. cap. 1. & 6. de Pontifice Rom. dicit, Papam non habere summam aliquam potestatem temporalem, jure divino; nec possè ullo modo imperare Principibus secularibus; ne-dum eos regno & principatu privare, etiamsi illi privari aliqui mereantur: sed tamen habere eum hanc potestatem indirectè, in ordine ad bonum spirituale. Et hoc modo potest Reges deponere, regna transferre, & uni auferre, alteri conferre, tanquam summus Pontifex spiritualis. Contrà ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in Titum 3. Apostolus, inquit, docet, credentes omnes Mundi potestatibus debere esse subiectos. Sed turbulenti quidam, motà inter Regnum & Sacerdotium controversiâ, mirum est, quot quantasq; turbas dederint. Tot, ante hanc camerinam, annorum centuriis, Chrysostomus, nihil tale unquam futurum suspicans, ex Apostolo, (Omnis anima potestatibus subiecta sit:) Omnis, inquit; sive Apostolus, sive Prophetæ; sive Euangelista, sive Episcopus; subiectus sit. Et rursus, Comm. in Epist. ad Tim. lib. 2. Gregorius VII. inquit, Pontifex, cui nomen erat Hildebrandus, exemplo suo No v o, & omnis bibliotheca veteris invento novello schismate, Regnum & Sacerdotium scindens, primus Sacerdotalem lancem contra Imperii diadema elevans, se, suoq; exemplo Pontifices alios, contra Principes excommunicatos, gladio accinxit, belloq; quasi hæreditario insurrexit. OTTO FRISINGENSIS quoque, in suo Chron. lib. 6. cap. 35. Lego, inquit, ac relego Regum & Imperatorum res gestas: & nusquam invenio, quenquam eorum, ante hunc Heinricum Imperatorem, quem Hildebrandus deposuit, à summo Pontifice regno privatum.

BELLARMINUS, lib. 1. cap. 4. de Conciliis dicit; Concilium legitimum non est, De Conciliis. in quo non præsidet Pontifex; aut alius ejus nomine. Et cap. 13. Est proprium Pontificis munus, Concilium generale convocare: & hoc est, in Christi nomine congregari. Capite autem 5. idem Bellarminus, In secundo, inquit, Concilio generali non omnino interfuit Pontifex; nec per se, nec per alium. Et lib. 5. de Concil. cap. 19. In nullis, ait, Conciliis Orientalibus interfuit Papa. Et lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 17. In Chalcedonensi ne per Legatos quidem. Et Cardinalis TURRECREMATA, lib. 3. de Eccles. cap. 11. In octo, inquit, Conciliis prioribus, Papa nullus præfuit. Et CUSANUS, lib. 2. de Concord. Eccles. cap. 25. Ex illo tempore, inquit, quo Imperatores Christiani esse cœperunt, ex illorum nutu pendere visa sunt negotia Ecclesiæ; atq; aded maxima Concilia ex eorum sententiâ convocabantur: ut ex Eusebio, Socrate, Sozomeno, Nicephoro, patet. Rursus: Octo prima Concilia generalia ab Imperatoribus erant collecta: & Pontifex

fex Rom. ad instar aliorum Patriarcharum, divales sacras iussiones, pro veniendo aut mittendo ad Concilia, recepit.

BELLARMINUS, lib. 2. de Concil. cap. 17. Pontifex, inquit, est absolute supra Concilium. Et tamen eodem libro, cap. 14. Papam, inquit, esse infra Concilium, Cardinalis Cameracensis, Almain, Gerson, Nicolaus Campanus, Panormitanus Cardinalis Florentinus, & Patres Concilii Basiliensis censuerunt; & (inquit Aeneas Sylvius, de Gestis Concilii Basil.) qui Papae auctoritatem auctoritati Concilii anteponebat, haeticum esse statuerunt. Et Cardinalis CUSANUS, de Concord. Cath. lib. 2. cap. 17. 18. & 28. Papam, inquit, non esse supra Ecclesiam, ex Augustino, Cypriano, & Gregorio Papâ; etiam ex Ambrosio, & Confessione Pontificum, constat.

De Fide. **BELLARMINUS**, de Notis Ecclesiae, lib. 4. cap. 9. scribit: Docuerunt Eunomiani, nemini peccata nocere, modo fidem habeat. Idem Protestantes. Bellarminum autem haud obscure mendacii insimulat **TOLETUS** Jesuita, Comment. in Johan. 13. Affirmavit, inquit, Eunomius, fidem sufficere ad salutem; quamvis mala opera adessent. Protestantes dicunt quidem, ad salutem sufficere: negant tamen, fidem illam sine operibus esse posse.

De Operû merito. **COSTERUS**, in Enchiridio, scribit: Utitur quoque, Deus instrumentis, quae ad efficientem causam aliquo modo revocantur: sicut etiam merita, quibus, ut aliquid concedatur vel fiat, promeremur. Idem tamen, sui oblitus, paulo post contradicendo scribit: Nulla omnino creaturae opera, nulla poenitentia, nulla martyria, nulla poena, nulla virtus, potest mereri cuiquam peccatori remissionem peccatorum suorum.

De Libero arbitrio. **BELLARMINUS**, lib. 5. de Libero arbitrio, cap. 26. itemque **CANISIUS**, in Praefat. ad librum Vegæ, exagitant illud, quod Calvinus dixit; *Visus est mihi Chrysostomus nimis, in liberi arbitrii viribus prædicandis.* Similiter **CAMPANUS** Petrum Martyrem, qui dixit; *Chrysostomum liberi arbitrii immodicum assertorem fuisse.* Canisius dicit: *Calvinus hic suam inscitiam prodit.* Campianus: *Istis Hereticis nihil non immodicum videtur.* Contra verò **SIXTUS SENENSIS**, in Bibliothec. lib. 5. in Praefat. Chrysostomus, inquit, impetu dicendi, cum Manichæis, qui Fati necessitatem defendebant, Naturæ vires **PLUS AE QUO** attollit. Et **TOLETUS**, Comm. in Johan. 6. Chrysostomi, inquit, doctrina hæc est; *Hominem, per liberum arbitrium, se ipsum dignum facere gratiâ.* Eadem est doctrina Cyrilli: *nec istorum tantum; sed etiam aliorum Doctorum, maxime Græcorum.* **MALDONATUS** autem, super eundem locum, inquit: *Hæc doctrina eorum nimis affinis est Pelagianorum errori. Caveat Lector, si Chrysostomum in hunc locum legat; ne in Pelagianorum heresim incidat.*

De Justificatione, ac certitudine Salutis. **BELLARMINUS**, lib. 4. de Ecclesiâ milit. cap. 2. Sectarii, inquit, nostri temporis, docent; *Homines justificari solâ fide speciali, quâ quisque, certo credit, se propter Christum coram Deo esse justum: Quod cum quolibet paradoxo comparari potest.* Et lib. 3. de Justificat. cap. 1. & 2. Nos, inquit, tantum certitudinem conjecturalem defendimus. Idem verò, ibid. cap. 2. Aliqui, ait, *Catholici docent quidem eam certitudinem, quæ nullam habeat de suâ salute formidinem.* Et **PERERIVS** Jesuita, Comm. ad Rom. 8. num. 27. *Certitudinem, inquit, Catholici eam docent, cui subesse falsum non possit.*

possit. Itē: Catharinus, inter Theologos hujus temporis minimè incelebris, docuit Certitudinem fidei; quā certò statuunt sibi peccata esse remissa.

STAPLETONUS etiā, lib. 7. de Justific. cap. 9. Catholici, ait, aliqui tenebant; nullum aliū esse justitiā conservandā modum, quā si justitiā Christi nobis imputetur.

BELLARMINUS, lib. 4. de Christo, cap. 15. dicit: *Opinio catholica hæc est; Christum verè, secundum essentiam, in inferno fuisse.* DURANDUS contrā, in 3. dist. 22. q. 3. docet, *Christi animam descendisse ad inferos, non secundum essentiam; sed per efficaciam: & existimavit, non credendum esse necessariò, Christi animam re-ipsā, secundum essentiam, descendisse ad inferos.* Hanc sententiā Bellarminus in Durando, tanquam erroneam; in Calvino autem, ut hæreticā, damnat.

De Descen-
su Christi
ad inferos.

BELLARMINUS itē, lib. 4. de Christo, cap. 16. dicit: *Christus descendit ad inferos, ut inde animas defunctorum Patriarcharum, sub veteri Testamento fidelium, ex limbo, seu carcere inferni, educeret; ubi ante ejus adventum continebantur.* GREGORIUS VALENTIANUS autem, Tomo 4. in Thom. disp. 1. quæst. 19. punct. 4. & disp. 6. q. 11. punct. 1. sic docet: *Omnes Christus SIMILITER redemit; sive ante Christi adventum, sive post, vixerunt; quibz, aliquando futuri erant.* Quamobrem, Apoc. 13. dicitur *Agnus occisus ab origine Mundi.*

BELLARMINUS scribit, lib. 1. de Ecclesiā triumphante: *Invocationem Sanctorum defunctorum, universa antiquitas docuit.* Contrā verò lib. 1. de Beat. Sanctor. cap. 6. scribit: *Sanctos veteris Testamenti invocare populus non solebat.* Et ECKIUS, in Enchirid. sub finem loci de Venerat. Sanct. *Nec hoc licuit, inquit, in primordio Ecclesiæ in Novo Testamento, ne Gentiles recēns-conversi se iterum ad idololatriam induci paterentur.* SALMERON etiā, in 1. Tim. 2. disp. 8 docet; *Non esse expressum in novo Testamento, de Invocatione Sanctorum: quia durum esset, id Judæis præcipere; Gentibus verò, periculosum.*

De Invoca-
tione San-
ctorum de-
functorū.

BELLARMINUS, in Præfat. ad lib. de Eccles. triumph. & lib. 1. cap. 16. sic scribit: *Papista, inquit Lutherus, B. Mariam Deum constituunt; omnipotentiam ei tribuunt; omnes se ad eam conferunt; & plus gratiæ ab eā expectant, quā à Christo Jesu.* Horrenda est hæc ejus impostura. *Quis Catholicorum unquam uni Deo B. Mariam æquavit?* Contrā CASSANDER, in Consult. art. 21. *Ed ventum est, inquit, ut Christus, etiam jam in cælo regnans, Matri subjiçatur.* Et VEGA Jesuita, Comm. in Apoc. 12. sect. 1. num. 9. de Nomine ejus sic scribit: *Tetragrammaton (quod est Deo proprium apud Hebræos: ut SIXTUS SENENSIS in Bibliothecā refert) est nomen sacerrimæ Virginis: nec hoc solum; sed etiam suo modo ineffabile: non solum Homi- nibus; verum & ipsis Angelis.* Et sect. 2. num. 6. Itē sect. 20. *Nec prætermittendum est, inquit, illud doctissimi Idioræ encomium: Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen; quod, post nomen Filii tui, est supra omne nomen: ut in nomine tuo flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum: nomen tantæ virtutis, ut ad ejus invocationem cælum rideat; infernus conturbetur.* Est illa spiraculum hominis: quia, sublato ejus patrociniò, peccator vivere diutius non potest. Idem VEGA, in Apoc. 12. sect. 2. num. 3. de authoritate B. Mariæ, sic scribit: *Merito Virgo DOMINA dicta est; cujus typus eam ob causam fuit Sara: quæ cum antea diceretur Sarai, i. e. Domina & Princeps mea;*

De B. Ma-
riā Virgine.

postea, Deo jubente, dicta est Sara, quod nomen sonat Principem sive Dominam absolutè. Est enim Virgo Domina, per excellentiam, & Princeps omnium creaturarum. ut egregiè expendit Arnoldus Carmelita, sic scribens: Maria, lingua Syriacâ, Domina dicitur: Christus, Dominus. & licet ipsa se profiteatur Christi ancillam: hoc servitutis genus omnî regno sublimius esse intelligit. Constituta quippè est super omnem creaturam: & quicumque Jesu curvat genu; Matri quoq; pronus supplicat: & Filii gloriam, cum Matre non tam COMMUNEM judico, quam EANDEM.

De merito B. Mariæ, DELRIUS Jesuita, Comm. in Cant. cap. 1. sect. 2. sic scribit: Obedientia Mariæ similis facta est obedientiæ Christi. Magna ergo in hoc laus Mariæ, magna ejus gloria: quod imitatio ejus gloriæ, EXÆQUATUR obedientiæ Christi, quam imitatur illa.

Sic ALANUS de RUPE, blasphemus animo & calamo scribit: Et si tota Trinitas jurasset per vulnera Christi, se nunquam misericordiam facturam Peccatori; Maria impetrabit.

De majestate ejus, OSORIUS Jesuita, tom. 3. Conc. in assumpt. S. Bartholom. Dubitant, inquit, aliqui, an Maria aded bona mater Christi dici debeat, ac bonus est æternus Pater. Item: Certè diversa est admodum generatio; quia diversa natura. Hac in re excedit æternus Pater matrem Mariam. At verò, si duntaxat Filium ab utroque genitum attendamus: in nihilo Pater excedit Matrem. Idem enim Filius est, ab utroque genitus: & hac ratione Mater aded bona Maria est, ac æternus Pater. Idem tom. 5. Dominic. 4. Epiph. sic scribit: Cui igitur B. Mariam comparabimus? Non Evæ; non Saræ; nec Racheli; nec Hesteræ; nec Luna; nec Soli. Cui igitur? PLANE DEO, bona omnia continenti.

De Cultu
Imaginum.

BELLARMINUS, in Præfat. libri de Beat. Sanct. Quis, inquit, Catholicorum unquam divinum honorem imaginibus detulit? Et tamen lib. 2. de Eccles. triumph. cap. 21. Sit, inquit, hæc nostra Propositio: Imagines Christi & Sanctorum veneranda sunt: non solum per accidens, vel improprie; verum etiam proprie: ita ut terminetur adoratio in Imagine; non solum ut vicem gerit exemplaris. AZORIUS etiam, Institut. lib. 9. cap. 6. Constans, inquit, est Theologorum sententia; Imaginem eodem honore & cultu coli, quo colitur id, cujus est imago.

De Voto
Baptismi.

BELLARMINUS, lib. 2. de Monachis, cap. 15. Promissionem, inquit, in Baptismo non esse votum, proprie ac verè dictum; est communis Theologorum sententia, & quidem verissima. AZORIUS autem, lib. 11. Instit. cap. 14. Baptisma, inquit, esse votum, proprie ac verè dictum; veteres Theologi, cum Magistro, sentire videntur.

De Mira-
culis.

COSTERUS, in Apolog. par. 3. c. 9. Hæc est, inquit, perpetua nota Ecclesiæ: nullum seculum, nulla atas hominum, miraculis caruit. Et BELLARMINUS, lib. 4. de Ecclesiâ milit. c. 4. Nunc, inquit, nostram Ecclesiâ demonstrabimus esse Dei veram Ecclesiâ, ex miraculis; quæ singulis ætatibus plurima & testatissima fuerunt, usq; ad hoc nostrum seculum. Contra ESPENSÆUS Episcopus, Comm. in 2 Tim. 3. Ubi, inquit, nullus est infidelis, faciendorum miraculorum nulla est necessitas. Et STELLA, Comm. in Luc. 11. Crede, inquit, Evangelio, quod fuit miraculis confirmatum. Sed dices: Nonne rationi consentaneum est, ut nunc quoq; fides confirmetur miraculis? Non:

nam nunc quoq; damnum potius afferrent, quàm cōmodum; etiã si in principio nascen-
 tis Ecclesia fuerint necessaria. Puer enim, cūm ambulare nequit, adjuvatur vehiculo;
 quod homini adulto est impedimento. ACOSTA, de procurandā Indorum salute,
 lib. 2. cap. 9. In hoc, inquit, signorum argumento explicando, Chrysoſtomus mirificè ver-
 ſatur. Si enim miracula in initio Euangelicæ prædicationis patrata creduntur: certum
 est, (inquit) doctrinam, cui confirmanda adhibebantur, divinitus esse profectam. Sin au-
 tem veritati hystoriæ jam minùs Gentilis credat: at longè omnibus signis majus est, homi-
 nes illos paucos, ignobiles, illiteratos, omnibus mortalibus exosos, toti Orbi persuasisse. Non
 ergo fides, jam satis firmata, miraculis novis indiget confirmari. Quin potius utilius
 esse afferit, signis nunc carere: quoniam majoris meriti fit, sine illis credere.

BELLARMINUS, lib. 4. de Ecclesiâ milit. cap. 14. Verum, inquit, miraculum sus-
 ficiens est testimonium veræ Ecclesiæ: ex quo fundamento probamus, eam esse apud nos.

MALDONATUS autem, Comm. in Matth. c. 7. Chrysoſtomus, inquit, Hierony-
 mus, Euthemius, Theophylactus, probant exemplis, etiã per alios, quàm Catholicos, verã
 miracula fieri: & hoc ipso loco Matthæi 7. Multi dicent in illo die, In nomine tuo ejeti-
 mus, &c. faciliè colligitur, falsos illos Prophetas, de quibus Christus loquitur, verã miracu-
 la fecisse, verè prophetasse, verè demonia ejetisse. Nec enim responder Christus, mentiri
 eos: sed, se eos, quàmvis ista fecerint, non nôsse. Nec magnum est, si moneret nos, ne falsa
 miracula facientibus non crederemus: sed magnum & admirabile est omninò, quòd mo-
 net, ne falsis Prophetis credamus, verã etiã miracula facientibus. Nullum ergo, (dicit
 aliquis) ad probandam veram doctrinam, argumentum hinc sumi potest? Non sequitur,
 omninò nullum: sed non-necessarium sumi potest. Scimus enim, Christum, ad confirman-
 dam doctrinam suam, potestatem faciendi miracula Apostolis suis tradidisse: scimus, vi
 miraculorū, totum penè Orbem ad fidem fuisse pertractum. Quod qui negant, (ut disputat
 Augustinus) majus ipsi miraculum, miracula tollendo, faciunt. Incredibilis enim, tot
 Philosophos, tot sapientes viros, tam paucis Apostolis, tam imperitis, tamq; incredibilia
 humana rationi prædicantibus, sine ullis miraculis credidisse; quàm illa ipsa miracula,
 quæ ab illis facta narrantur. Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis su-
 mitur: quia per fidem sæpè: sine fide rarò, fieri solent. Nec necessario demonstrant Eccle-
 siam; nisi ubi potestas miracula faciendi ordinaria contingit.

COLLEGIUM ANGLO-RHEMENSE, in Annot. ad Apoc. 17. Protestantes, in-
 quit, extremã malitiã excœcati, adversus Rom. Ecclesiam usq; aded insanunt; ut septem
 montes literaliter interpretentur: ut inde simplicibus persuadeant, Romã esse sedem Anti-
 christi. cūm tamen Angelus se- ipsum exponat vers. 7. Septem montes idem esse, quod septem
 capita & septem Reges. BELLARMINUS etiã, lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 13. in-
 quit: Per Meretricem, quæ sedet super septem montes, non intelligi Romam; sed univer-
 sam Diaboli civitatem; quæ vocatur sæpè Babylon; & opponitur civitati Dei, quæ dici-
 tur Hierusalem. Per septem montes, intelligi universitatem superborum; & præcipuè Re-
 gum terræ. CONTRA RIBERA, in Apocal. 14. num. 30. Babylonem, inquit, esse Ro-
 mam, ex textu confirmatur: quia nulli alii convenire potest, quod dicitur, Septem capita,
 septem montes sunt. Constat autem, Romam super septem montes fundatam esse, de qui-
 bus Vergilius, Aeneid. 6.

De Baby-
 lone apo-
 calypica.

De Anti-
christi sede.

BELLARMINUS, lib. 3. de Pontif. Rom. c. 13. *Antichristi, inquit, sedem fore Hierusalem; non Romam; verissima est sententia.* Contra COLLEGIUM ANGLORHEMENSE, in Apocal. 17. *Roma, inquit, ante finem Mundi, futura est sedes Antichristi.*

Ad dictum Augustini, (Ego Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ moveret autoritas) lib. contra Epistolam fundam. c. 5. STAPLETONUS, lib. 2. de auctorit. Script. Respondent, inquit, *Protestantes; hoc Augustinū dixisse, cum adhuc erat Manichæus: nimirum, eum Ecclesiæ autoritate tunc fuisse commotum, ut Euangelio crederet, & ut esset Catholicus. At tam abesse eidem Augustino jam facto Catholico, ut Scripturis non crederet; ut potius Ecclesiam desereret, quam Euangelio non crederet. Ergo majoris apud Augustinum momenti fuisse Scripturarum, quam Ecclesiæ, autoritatem. Falsum autem omnino. Nam sensus est: Quod ad me attinet, nisi me jam Catholicæ Ecclesiæ autoritas commoveret; nec nunc quidem Euangelio crederem. Itaq; frigida est omnino isthæc Protestantium solutio; qui hunc sensum ponunt de præterito: Ego nunc non essem Christianus, nisi me commovissent suis persuasionibus Christiani. Quia de præsentī omnino agit Augustinus. Hoc etiam respondent Jesuitæ POSNANIENSES, COSTERUS, TURRIANUS, VALENTIANUS, GRETSERUS, & alii.*

MELCHIOR CANUS autem, in Locis Theol. lib. 2. cap. 8. *Augustino, inquit, negotium erat cum Manichæis; qui absq; controversiâ suo cuidam Euangelio credi volebant. Rogat Augustinus, ecquid facturi sint, si in hominem incidant, qui ne quidem Euangelio credat? quo genere persuasionis sint eum in suam sententiam adducturi? Certè se, affirmat, non aliter potuisse (præterito tempore) adduci, quam Ecclesiæ autoritate victum. Non itaq; docet, in Ecclesiæ autoritate fundatam esse Euangelii fidem. Agit enim Augustinus, quomodo infideles ad credendum adducantur. Et DRIEDO, de variis Dogmat. lib. 4. c. 4. Loquitur, inquit, Augustinus de Ecclesiâ illâ, quæ fuit ab initio fidei Christianæ. (Ergo non de solâ Romanâ; sed etiam de primitivâ.) GERSON, de Vitâ animæ: Augustinus, inquit, Ecclesiam ibi sumit pro Ecclesiâ primitivâ fidelium, qui Christum viderunt, & audierunt, & ejus testes exstiterunt.*

Sed quis omnia Jesuitarum mendacia & falsa recenset? Sufficiat in præsens, etiam ex isto contradictionis spiritu, cognoscere ac pronuntiare; JESUITAS reâple & factō ipsissimos mendacii doctores esse.

FINIS LIBRI II. HISTORIÆ JESUITICÆ.



HISTO-